DE ANTENORE ET ANTENORIDIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES IN UNIVERSITATE LITTERARUM VIADRINA VRATISLAVIENSI RITE CAPESSENDOS DIE XXX MENSIS MARTII ANNI MCMXI HORA XI IN AULA MUSICA UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

ALFONSUS SCHOLZ

SILESIUS.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

ADVERSARII ERUNT:

R. GIERTZUCH CAND. PHIL.

E. KRUEGER CAND. PHIL.

TREBNITZIAE

TYPIS MARETZKE ET MAERTIN

MCMXI

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
R. Foerster.

Examen rigorosum habitum est die IX. m. Novembris
a. 1910.

RICARDO FOERSTER

SACRUM.

Conspectus rerum:

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41543112_0013

De Antenore et Antenoridis iam multi egerunt viri docti. E quo numero nomino Chr. G. Heynium in exc. VII * ad Verg. Aen. I „de Antenore“, qui fundamentum iecit, et Ed. Iacobium, Hdwörtb. d. gr. u. r. Myth. (1835) s. v. Antenor, qui nonnullas res tantum repetivit. Omnium accuratissime R. Stiehlius in Philol. XV 592 ss. „z. troian. Sagenkreise“ Antenoris errores tractavit, cui permulta debeo. Eius imprimis vestigia secuti sunt Oertelius in Roscheri Lexico Mythologico et R. Wagner[1]) in Pauly-Wissowa, Realencycl. s. v. Antenor. Wagner iam antea singulas res attigerat in curis mythographis additis editioni „epitomae Vaticanae ex Apollodori Bibliotheca“ (1891). Roberti (Stud. z. Ilias p. 382—87: „Die Antenoriden“) imprimis intererat ostendere poetam carminis, quod dicit „Urilias“, Antenoridis nondum tales partes tribuisse, quales in Iliade occurrunt. Artis monumenta nemo adhuc collegit. Cum vero hi viri etiam permultas alias res ad Antenorem et Antenoridas pertinentes proferre omiserint vel nondum potuerint neque quae protulerunt omnia recta sint, suasore R. Foerstero hanc lacunam explere mihi proposui.

Et instituam dissertationem ita, ut priore parte de personis et rebus quae ad Antenorem et Antenoridas pertinent singillatim secundum temporis ordinem disseram: capite quidem I de Antenoris stirpe et prosopographia, capite II de eius hospitio, capite III de eius legatione, capite IV de rationibus, quas Antenor cum Priami domo habuit, capite V de Theanone, capite VI de Antenoridis quae quisque in bello

---

[1]) Oertel et Wagner in Antenoribus enumerandis omiserunt eum, qui in Pythonis cratera minister Amphitryonis indicatur; cf. Murray, Journ. of Hell. stud. XI 225 ss. tab. VI.

Troiano egerit, capite VII de Antenore patriae proditore et de Theanone in Palladio rapiendo adiutrice, capite VIII de Antenore eiusque familia in Troiae excidio conservatis, capite IX de eorum post patriam deletam fatis; altera autem parte quaeram, quibus harum rerum et quo modo auctores artificesque in operibus componendis usi sint: capite I agam de poetis (Homero, poetis cyclicis, Pindaro, Bacchylide, Sophocle, Accio, Lycophrone, Quinto Smyrnaeo, Dracontio), capite II de rhetoribus, capite III de scriptoribus historiarum fabulosarum (Darete et Dictye), capite IV de artificibus.

Pars I.

De personis et rebus, quae ad Antenorem et Antenoridas pertinent, singillatim ex temporum ordine tractatis.

C. I. De Antenoris genealogia et prosopographia.

Unde et quo ex patre Antenor ortus sit, certo diiudicari non potest. Euripides fr. incert. 899 (Nauck [2] ex Athenaeo XV p. 655 a): *Ἀντήνορός τε τοῦ Φρυγός* et [Vergilius] Catalept. IX 15 (Vollmer): ‚*Phrygium . . . senem*‘ Phrygiam patriam eius indicant. Patrem eius fuisse Aesyetem affirmant Dictys IV 22: ‚*ex Cleomestra et Aesyete se genitum*‘ et Eustathius ad Il. p. 349, 1: *Ὁ δὲ Αἰσυήτης . . . Ἀντήνορός φασι πατήρ*, Hicetaonem schol. cod. Lips. Il. γ 206: *Ἀντήνωρ ὁ Ἱκετάονος*, Laomedontem mythographus Vatic. primus 204, 11: ‚*Laomedon genuit . . . Antenorem*‘.

In Iliade est Antenor senex prudentissimus (ut apud Choricium in ‚Polydamante‘, ed. R. Foerster, Herm. 17, 210 *τὸν πρεσβύτην Ἀντήνορα*), qui iam diu Troiae in summa auctoritate erat: Il. γ 148 ss.; γ 205. Imprimis inter Troianorum duces eloquentiae laude florebat, ut Nestor inter Graecos (Il. γ 151 *ἀγορηταὶ ἐσθλοί*). Antenoris et Nestoris facundiam comparaverunt Plato symp. 221 C: *ἀπεικάσειεν ἄν τις καὶ Νέστορα καὶ Ἀντήνορα*, Euripides fr. 899: *Εἴ μοι τὸ Νεστόρειον εὔγλωσσον μέλος | Ἀντήνορός τε τοῦ Φρυγὸς δοίη θεὸς*, Eustathius in Il. p. 1301, 35 (ex Athenaei l. c.): *δοκεῖ δὲ κατὰ τὸν Νέστορα εἶναι καὶ*

ὁ Ἀντήνωρ παρά γε τοῖς Τρωσὶν κτλ. et [Vergilius] catal. IX 15 (cf. Wilamowitz, Herm. 35, 565 [1])): *carmina quae Phrygium saeclis accepta futuris,* | *carmina quae Pylium vincere digna senem.*

Antenoris formam non solum artis monumentis, quae suo quodque loco tractabo, sed etiam litteris descriptam invenimus. Talis prosopographiae fontes et rationem diligentissime tractavit I. Fuerstius, Philol. N. F. 15, 374 ss. Prima Antenoris prosopographia traditur a Darete c. XII (*Antenorem longum, gracilem, velocibus membris, versutum, cautum)*, quam I. Malala [2]) V 106 (ed. Dindorf): Ἀντήνωρ μακρός, λεπτός, ξανθός, μικρόφθαλμος, ἀγκυλόρινος, δόλιος, δειλός, ἀσφαλής, πολυίστωρ, ἐλλόγιμος aliis de suo (v. Fuerstium p. 429) amplificavit. Haec prosopographia paucis additamentis aucta est ab Isaaco Porphyrogenneto [3]) (ed. Hinckius in Polemonis declam. p. 86, 6): Ὁ Ἀντήνωρ μακρός, λεπτός, ἰσχυρός, λευκός, ξανθός, μικρόφθαλμος, γλαυκός, καμπυλόρριν, λευκοχαράκτηρος, εὔλογος, δειλός, δόλιος, ἀσφαλής, πολυίστωρ, ἐλλόγιμος; Tzetzae posth. 380 s. prosopographia e Malala petita est: Ἀντήνωρ δὲ μακρός, ῥαδινὸς πέλεν ἠδὲ γλαγόχρους, | γλαυκός, ῥῖνα φέρων καμπύλην, ξανθοέθειρος.

C. II. De Antenoris hospitio.

Iam ante bellum Troianum Antenor hospitio excepit Ulixem et Menelaum, qui legati Helenam repetitum Troiam venerant, ut Il. γ 203—8 narrat. Legati ante bellum exortum venerunt, ut affirmant scholiastae codicum et Townleiani et Veneti B (Lipsiensis [4])) ad h. l.; ad Iliadis γ 203 s. memoriam respiciunt Eustathius in Il. δ 86 et schol. Pind. Pyth. V 108. In illa ad Iliadem praefatione quae dicitur Burbonica (ed. Wagner Apollod. epit. p. 297 s.) legimus legatos ab Antenore receptos esse. In Iliadis undecimo 123—25 et 138—42 insidiae,

---

[1]) Hunc locum F. Skutschius mihi ostendit.

[2]) E. Patzigius, Byz. Ztschr. 17, 382 ss. ostendit Malalam prosopographiam e Sisypho hausisse.

[3]) Cf. Schissel de Fleschenberg, Dares-Studien, Hal. 1908 p. 14.

[4]) Hunc codicem esse compilatum e Townleiano et Veneto B et aliis fontibus ostendit Maassius Herm. 19, 264 ss.

quas legatis Alexander et Antimachus paraverant obiter tanguntur, non vero dicitur Antenorem legatos ab iis defendisse [1]. Videtur poeta in hac re narranda usus esse carmine epico, quod hanc legationem fuse narraverat.

E poeta cyclico, qui composuit „Cypria“, sive Stasino sive Hegesia sive alio [2]), illam legationem tradidit Proclus auctor chrestomathiae [3]) l. I nihil indicans de Antenore. In Iliade (*γ* 205: *ποτέ*) legationis tempus in medio relinquitur; ex scholiastis comperimus legatos ante bellum exortum venisse. Apud poetam ‚Cypriorum‘ hunc rerum ordinem ita commutatum videmus, ut tum demum, cum Protesilaus et Cycnus prima pugna interfecti essent, Graeci Troiam legatos miserint. Cuius similis res invenitur apud Apollodorum bibl. XVII 14, qui Antenoris mentionem facit (= fr. Sabbaitica bibl. Apoll. ed. Papadopulos-Kerameus Rhein. Mus. 46, 168) *ἀλλὰ καὶ τούτους* (sc. Ulixem et Menelaum) *κτείνειν ἤθελον· ἀλλὰ τοὺς μὲν ἔσωσεν Ἀντήνωρ.* Ex rerum verborumque concentu apparet Apollodorum eisdem fontibus usum esse, quibus et scholiasta codicis Venet. B (*ἀπὸ τῆς Τενέδου — ἐκ Τενέδου. τούτους κτείνειν ἤθελον· ἀλλὰ τοὺς μὲν ἔσωσεν Ἀντήνωρ — δολοφονεῖσθαι μέλλοντας ἔσωσεν*) et Proclus (*καὶ πέμπουσιν Ὀδυσσέα καὶ Μενέλαον τὴν Ἑλένην καὶ τὰ χρήματα ἀπαιτοῦντας — καὶ διαπρεσβεύονται πρὸς τοὺς Τρῶας τὴν Ἑλένην καὶ τὰ κτήματα ἀπαιτοῦντες*), aut ipsum fontem eorum fuisse [4]). Nec multo aliter res tradita est apud Eustathium ad Il. p. 405 ss.: legatos venisse *ἐν καταρχῇ τοῦ πολέμου* et ab Antenore contra Troianorum insidias defensos esse, quod ex scholiasta codicis Veneti B hausit (*φασὶ δὲ καὶ ὅτι ἐπιβουλευομένους ὥστε δολοφονηθῆναι τοὺς περὶ Ὀδυσσέα καὶ Μενέλαον ὁ Ἀντήνωρ περιεσώσατο — δολοφονεῖσθαι μέλλοντας ἔσωσεν*). Eustathius affirmat cum alios tum Herodotum rem ita ut Homerum narravisse; et comprobant Herod. I 3 et II 118, qui loci ab Iliadis et

---

[1]) Wagner in edit. Apollod. epit. Vat. p. 196 etiam hoc ex Homero derivatum esse perperam dicit.

[2]) Welcker ep. Cycl. I 287 ss.; Christ-Schmid, Gesch. gr. Lit. I 90.

[3]) Welcker II 104 = Kinkel, ep. gr. fr. I 19 s.; Bethe, Herm. 26, 593 ss.

[4]) Cf. Bethe, Herm. 26, 612.

Cypriorum memoria non differunt, eius sententiam. Herodotum se secutum esse Libanius ipse fatetur (V 200 ed. R. Foerster), qui in declamatione Menelai (V p. 206, 10 ss.) et Ulixis (V 233, 10) Antenoris hospitium laudat. Denique ex eiusdem rhetoris Achillis ad Ulixem antilogia (V 305, 1 s.) cognoscimus haec: *μικροῦ λαβόντες ἀπέκτειναν ἄν, εἰ μὴ παρελθὼν Ἀντήνωρ ἐξητήσατο*, quam rem iam Apollodorus et scholiasta Homeri similiter narraverunt.

Apud Bacchylidem XIV (Blass), cuius carminis summam infra explicabo, legati Helenam repetitum post bellum initum Troiam veniunt. Legatos bello iam exorto venisse ostendunt verba *παύσασθαι δυᾶν* (v. 46) et *Ζεὺς . . . οὐκ αἴτιος θνατοῖς μεγάλων ἀχέων* (v. 52). Invenimus ergo apud eum memoriam Cypriorum [1]). Sophoclis fabulam *Ἑλένης ἀπαίτησις*, in qua de eadem legatione agitur, infra (part. II c. I) explicabo; fragmenta (Nauck 171 s.) nihil quod huc pertineat praebent. Antenoridae a Menelao propterea servantur, quod Antenor pater et Theano uxor eum antea hospitio acceperant. Haec affirmat Triphiodorus in Ilii expugnatione (ed. Weinberger) v. 656—59: *τέκνα δὲ καὶ γενεὴν Ἀντήνορος ἀντιθέοιο | Ἀτρείδης ἐφύλαξε φιλοξείνοιο γέροντος | μειλιχίης προτέρης τίνων χάριν ἠδὲ τραπέζης κείνης ἥ μιν ἔδεκτο γυνὴ πρηεῖα Θεανώ*. Quem Quinti Smyrnaei (posth. XIII 293—96) vestigia retinuisse F. Noackius (Herm. 27, 452 ss.) dixit. Sed Quintus et Theanonem silentio praeterit et praeter Antenoris hospitium etiam Ulixem et Menelaum ab eo servatos e carmine cyclico [2]) addit, sive „Iliade parva", ut Noackius censuit l. c., sive alio carmine, ad quod spectat Apollodori bibl. XVII 14; Triphiodorus Menelaum unum legatum memorat.

Ovidius met. XIII 200 ss. rem iam ex Iliade cognitam nobis tradidit: Ulixes dicit Priamum et Antenorem oratione sua motos esse, Paridem autem legatis mortem intentavisse. Ante-

[1]) Cf. Tommasini, studi Ital. di filol. class. (1899) VII et Gruppe, d. mythol. Lit. v. 1898—1905 (1908) p. 151. Parum recte H. Weil, Journ. des Sav. 1898 Janvier p. 54 scripsit: „le sujet est emprunté à Homère . . . Bacchylide transpose cette ambassade au milieu de la guerre".

[2]) Cf. Allen, The class. quarterly II (1908) p. 64 ss. et p. 81 ss.: „the epic cycle."

noris hospitium etiam Livius I 1 (*„vetusti iure hospitii“*) memorat (v. infra). Ex Servii comm. in Verg. Aen. I 242: *„capto Ilio Menelaus memor se et Ulixen beneficio Antenoris servatos, cum repetentes Helenam ab eo essent suscepti ac paene a Paride aliisque iuvenibus interempti essent, parem gratiam reddens inviolatum dimisit“* similia comperimus iis quae ex Triphiodoro: Menelaus est, qui Antenorem propter vetus hospitium (*„parem gratiam reddens“* — 658 *μειλιχίης προτέρης τίνων χάριν*) servat. Insidiae ab Alexandro et Antimacho legatis paratae, quos Antenor servat, leguntur etiam apud Tzetzam anteh. 158, qui Homero et Quinto in verbis, Homero, Quinto, Dictye in rebus usus est: anteh. 158 *Ἀντιμάχοιο κακόφρονος* cf. Il. λ 138 *Ἀ. δαίφρονος*; anteh. 160 *χρυσὸν Ἀλεξάνδροιο δεδεγμένου* = Il. λ 124: anteh. 161 *Ἀντήνωρ ξείνισεν . . σαώσας* = Quint. XIII 295. Cum Menelao et Ulixe Palamedes legatus missus erat, ut Dictys I 4 dicit, quod Tzetzes anteh. 154 s. et prol. alleg. [1]) 399 s. ita mutavit: Palamedes ante Menelaum et Ulixem exierat, postquam iam ante ipsum Acamas et Diomedes legati Troiam venerunt. Ut ex scholiasta Il. γ 205 vel eius fonte, ita e Dictye, qui illo usus est, legationem factam esse, ante quam Alexander Troiam revertit, intellegimus. Acamas et Diomedes legati Ilium venerunt secundum Tzetzam anteh. 156 et 402. Hoc iam Euphorio Chalcidensis tradidit, cuius fragmentum, quod huc pertinet, servavit Tzetzes in schol. ad Lyc. 495 (= fr. 55 Meineke anal. Alex. et fr. 68 Scheidweiler diss. Bonn. 1908); cf. etiam Tzetz. ad Lyc. 447: Laodica ex Acamante, qui cum Diomede legatus Troiam missus erat Helenae repetendae causa, amore incensa Munitum peperit. — Ut Dictys II 20 ss. finxit, Ulixes et Diomedes alteri legati Troiam venerunt, qui iam ante belli initium Priamum adierant; a Darete, qui insidias Troianorum silentio praeterit, c. 17 Ulixis unius legatorum nomen comperimus. Dictys autem et legationem iteravit et insidias iis paratas ex Homeri simplici fabula duas inter se disiunctas historias componens. Nam Dictys I 8 haec narrat: Cum Palamedes, Ulixes, Menelaus legati advenissent, Priamus

---

[1]) Cf. Krumbacher, Byz. Lit.² 529 ss.; Giske, de I. Tzetzae scriptis ac vita, diss. Rost. 1881, p. 43 ss., 51 ss.; Hart, JfklPh. Suppl. XII 14, 41.

cum ducibus, quid faciendum esset, deliberavit. Tum Alexandro duce reguli armati in consilium irrumpentes minis patrem cogere conantur, ut Helenam Graecis neget. Alexander iam auxiliantes senibus aggressurus est, cum *„reliqui interventu procerum, qui in consilio fuerant, duce liberantur Antenore"*. Hoc Antenoris auxilium Dictys ad exemplum eius finxit, quod Antenor legatis tulerat (I 10). Legati saepe venerunt, ut ex Dictye hausit auctor anonymus *ἐκλογῆς ἱστοριῶν* codicis Parisini 854 (ed. Cramer Anecd. Paris. II) p. 199, 31 *πολλάκις ἔπεμψαν πρεσβείαν* et p. 200, 2 *πολλῶν πρεσβειῶν σταλεισῶν*. Dictys II 24 scribens Antenorem etiam Antimachi consilium Menelai retinendi prohibuisse ex una facta in legatos coniuratione duas fecit, alteram Alexandri, alteram Antimachi, ad quas secernendas eum legationem reduplicatam perduxisse conicio. Ut Ioannis Siceliotae *σύνοψις χρονική* (ed. A. Heinrich Progr. Graz 1892) p. 9 ostendit, Antenor et Aeneas, ut Helena redderetur, suaserunt, Deiphobus autem aliique Priamidae eis obstiterunt.

C. III. De Antenoris legatione.

Antenoris legationem soli recentiores scriptores tradiderunt; sed cum illos ex fonte vetustiore hausisse veri simile est tum hanc legationem ante res postea tractandas fuisse apparet. Res autem haec est: Priamus ad Telamonem, qui Hesionam rapuerat, legatos sororis repetendae causa misit, in quibus Antenor erat. Secundum Dracontii opus de raptu Helenae (poet. lat. min. ed. Baehrens V 160 ss.) Alexandri, quem Priamus legatorum principem fecerat, comites fuerunt Antenor, Polydamas, Aeneas (v. 238—41). Legatis reversis Antenor Priamo maris pericula describit v. 590—97. Apud hunc Antenor Alexandri comes et legationis orator est; apud Daretem Antenor ipse legatus est, ut c. IV indicat. Secundum cap. V—VI Antenor Peleum, Castorem, Pollucem, Nestorem frusta adiit et reversus Priamo, ducibus, filiis, quae effecerit, rettulit.

Hanc legationem Dracontius vel potius eius fons finxit secundum exemplum illius de Helena missae. Dracontium fontem esse Daretis inde concludere possumus, quod ille

v. 274 *„turpe ducis servire genus crimenque putatur“* sententiam multo distinctius ac melius expressit quam Dares V *„non esse aequum in servitute habere regii generis puellam“*. Idem censuerunt Schissel de Fleschenberg l. c. p. 143 ss. et F. Meister, Liter. Zentralbl. 1909 n. 47.

Apud Dictyn IV 22—V 4 Antenor, qui semper auctor Helenae reddendae fuerat, propterea pacis interpres est, ut meliorem proditionis agendae occasionem habeat. Haec Antenoris legatio etiam a Tzetza posth. 607—12 narratur, qui e Dictye hausit: Troiani cum patriam diutius se defendere non posse intellexissent et haruspices urbis finem vaticinati essent, Antenorem legatum ad Graecos miserunt, qui se ea condicione, ut Helena cum thesauris raptis redderetur, pacem facturos esse nuntiaret.

Ut apud Dictyem, Malalae fontem [1]), ita apud Malalam chronograph. Ox. 142 (p. 122 Dindorf) Antenor legatus de pace agenda ad Graecos mittitur: *καὶ ἀναγκάζουσι τὸν Ἀντήνορα οἱ ἔξαρχοι τῶν Τρώων καὶ ὁ Πρίαμος καὶ ὁ στρατὸς ὥστε ἐξελθεῖν πρὸς ὑμᾶς τοὺς βασιλεῖς καὶ διὰ τῆς ἰδίας πρεσβείας πεῖσαι τοὺς Δαναοὺς ὑμᾶς λαβεῖν λύτρα καὶ διαλῦσαι τὸν πόλεμον.* Eadem res invenitur apud Cedrenum in historiarum compendio 131 B (p. 230 Bekker) et apud auctorem *ἐκλογῆς ἱστοριῶν* (Cramer Anecd. Paris. II 206), qui Malalam exscripserunt. Paulum mutatam legimus rem apud Ioannem Siceliotam [2]) *σύνοψις χρονική* p. 9 (Heinr.): *τότε μὲν εἰς πρεσβείαν Ἀντήνωρ ἐκπέμπεται ἱκετεύων τοὺς Ἕλληνας καὶ λέγων τάδε.* Sequitur oratio (cf. p. 30) ex Malala sumpta.

C. IV. De rationibus, quas Antenor cum Priami domo in bello Iliaco habuit.

Antenor in iis Troianorum senioribus est, qui semper in Priami comitibus sunt, ut Il. *γ* 146 s.: *οἱ δ' ἀμφὶ Πρίαμον . . . Οὐκαλέγων τε καὶ Ἀντήνωρ* affirmat. Antenor cum Priamo

[1]) Sic Grenfell et Hunt, the Tebtunis Papyri II p. 11.

[2]) E. Patzigius, Byz. Ztschr. 4, 23 ss. huius auctoris fontem Ioannem Antiochenum investigavit.

affinitatis vinculo eo coniunctus est, quod Helicaon filius Laodicam Priami filiam in matrimonium duxit Il. γ 121—124. Sed secundum Dictyn IV 22 Ilus genuit Laomedontem, Priami patrem, et Cleomestram, Antenoris matrem. A mythographo Vatic. primo (204, 11) Antenor Priami frater appellatur.

Antenor in eodem curru stans Priamum ad foedus de Menelai et Paridis certamine singulari faciendum comitatur Il. γ 261—63 (et Choric. p. 169, 23 ss. Boiss.). Sed η 345—52 Antenor Priamo obloquitur: Cum Graeci post Aiacis et Hectoris certamen singulare castra munituri sint, Antenor civibus frustra suadet, ut Atridis Helenam cum omnibus opibus reddant et finem pugnandi faciant. Nequaquam Troianis hoc bellum saluti fore, cum fide hospitii laesa ortum sit. Sed Alexander (v. 354 s.) et Priamus (v. 375 s.), qui suadent, ut bellum renovetur, vincunt. Apparet Antenorem cum hac tum aliis occasionibus ad pacem hortatum esse. Res tangitur ab Horatio epist. I 2, 9—11, qua Lollio Maximo carmina Homeri legenda commendat.

Item ad Homerum respiciunt Ovidii fast. IV 75: *Adice Troianae suasorem Antenora pacis*" et Heroid. V 95—97: *Quid gravis Antenor, Priamus quid censeat, ipse Consule, queis aetas longa magistra fuit.* | *Turpe rudimentum, patriae praeponere raptam.* Antenor et Alexander inter se dissenserunt, ad quod Dio Chrysostomus in oratione ‚Troica' (ed. de Arnim I 115 ss.) alludit § 55 (I 129 = p. 166 Reiske). Ut Dares c. XXXVII finxit, Antenorem et Aeneam etiam Polydamas legatus comitatus est, sed Antenor solus loquitur, qua in oratione Dares Homerum secutus est: Cum Graeci iam Troiae moenia circumdant, Antenor hoc summi periculi momento patriam ab excidio defendere conatur. Consilio convocato Antenor ostendit Troianorum fortissimos duces necatos, Graecorum integros esse et „*suadet potius esse, ut Helena his reddatur et ea, quae Alexander cum sociis abstulerat, et pax fiat*". Antimachus ei obloquitur, ut in Il. λ 122 ss. Alexander et Antimachus (cf. p. 3) ei obsistunt. Dictys III 26 et V 1—2 Antenorem Helenam raptam reddendam esse semper se censuisse affirmat. Antenoris et Paridis rixae ex Homero petitae apud Tzetzam hom. 163 ss. inveniuntur. Alias rationes, quae Antenori in bello Troiano cum Priamo fuerunt, apud Quintum Smyrnaeum diversis locis legimus,

quas vel ipse finxit vel cyclicis carminibus (cf. p. 5, 2) debet. Posth. IX 8 ss. haec narrat: Cum Troiani clade gravi accepta ex urbe exire non auderent, Antenor Iovem summum deorum imploravit, ut illum hostem, qui patriam graviter urgeret, sive Achilles sive Achivorum alius esset, ab urbe averteret aut, si Troianos a Graecis superandos esse constituisset, belli finem maturaret. Haec Antenoris supplicatio a Quinto ficta esse videtur secundum Theanonis preces Il. ζ 297 ss. (cf. p. 11), praesertim cum tales sententiae ad Antenoris pacis amorem ab Homero significatum apte conveniant. Etiam res, quam apud Quintum XIV 399—402 legimus, bene cum illa Antenoris humanitate congruit, sive ipse novavit sive e carmine cyclico hausit: caede magna peracta Antenor Troianos ad mortuos sepeliendos incitat et corpora in rogum inferri iubet.

Similem operam Antenor Polyxenae navat. Posth. XIV 178—225 umbra Achillis Neoptolemo per somnum apparet deposcens, ut Polyxena inferis mactetur. Et mactatur Polyxena, cuius corpus Antenori humandum traditur (XIV 320 ss.), qui Eurymachi filii sponsam prope ad domum suam sepelit. In hac re Quintus sequitur fabulam incolarum regionis Troianae, qui tumulos heroum et domos monstrabant. His omnibus Quinti locis Antenor fidelis erga Troianos inducitur, ut ab aliis scriptoribus (cf. cap. VII p. 26 ss.) perfidus[1]).

Aliam denique rationem, quam Antenor cum Priamo habet, viri doctissimi[2]) in imagine vasculi s. VI, quod Cleonis repertum nunc in museo nationali Athenis est, expressam se invenisse putaverunt, qui in homine prope Priamum (*Πρίαμος*) stantem Antenorem recognoverunt. Sed Weicker, Mitt. d. archaeol. Inst. v. Athen. 30 (1905), 201 ostendit litterarum reliquias ei adscriptas praebere *Ἰφίθεος*.

---

[1]) Cum Quinto XIV 320 s. congruit Dares c. XLIII, qui narrat Antenorem iussu Agamemnonis Polyxenam ab Aenea absconsam quaesivisse et ad Graecorum imperatorem adduxisse.

[2]) Collignon-Couve, Catal. des vases peints du musée nat. d'Athènes (1902) no. 620, p. 171 s. omnes enumeravit, qui de hoc vase scripserunt et Iahnium (Arch. Zt. 1863, 61) secuti eum virum Antenorem esse putaverunt; omisit Pervanoglum, Bulletino 1861, 47 s. et S. Reinachium, Répertoire des vases peints Grecs et Etrusques I 394, 3—7.

In vase, quod Françoisvase[1]) dicitur, Antenor cernitur. In quarto quinque imaginum circulorum Clitias Achillem Troilum persequentem pinxit. Troilus (cf. schol. Il. XXIV 257) extra Ilii muros, ut equos aquatum ageret, exierat et Polyxena soror aquam e fonte petitum secuta erat. Achilles, qui post puteal insidiatur, subito prosiliens eos persequitur. Qui perterriti in fugam se coniciunt. Ante Polyxenam Antenor (ΑΝΤΕΝΟΡ) festinat Priamo in saxo sedenti, quae vidit, relatum. Simul e porta Scaea Hectorem et Politem egredientes videmus. Antenoris caput et dextrum pectoris latus deleta sunt[2]). C. Robertus (Bild und Lied p. 17) artificem hanc rem „Cypriis" debere coniecit, quae sententia testimoniis confirmari non potest.

Praeterea idem vir doctus[3]) putat se Antenorem repperisse in operculo sarcophagi, qui nunc Romae in villa Borghesiana est. Operculum praebet Amazonas Troiam venientes et arma induentes. In figurarum secunda serie Penthesilea Priamo obviam it, qui a quattuor senibus (cf. Il. γ 146 ss.) circumdatus est, quorum secundum Antenorem nominare Robertus vult, quia principem locum obtineat. Sed etiam haec res valde incerta est.

C. V. De Theanone.

Theano Antenoris uxor et Minervae sacerdos et Hecubae soror[4]) fuit, ut Ilias ζ 297—311 testatur: Theano est filia Cissei regis Thracum, Hecubae patris, qui Iphidamantem Antenoridam apud se educavit (Il. λ 221—24). Ut Antenor maritus, ita etiam Theano ut Minervae sacerdos inter Troianas

---

[1]) Omnes qui vasis imagines publicaverunt et descripserunt, accuratissime enumeravit Furtwaengler-Reichhold, Griech. Vasenmalerei Ser. I t. I—III, p. 1, 1.

[2]) O. Iahnius, Arch. Ztg. 1856, 235, t. 94, 1 (= Brunn-Koerte, I rilievi d. urne Etr. I t. LI 7) sculpturam urnae Etruscae publici iuris fecit, in qua hae Antenoris partes adulescenti Troili comiti traditae sunt.

[3]) C. Robert, D. antik. Sarkophagreliefs II 66—68; t. XXIV 59, qui p. 66 etiam ceteras effigies et viros doctos, qui eas descripserunt, enumeravit.

[4]) Hecubae sororem eam schol. in Lycophr. 340 nominat: *σύγγαμβρος δὲ ἦν οὗτος Πριάμου ἔχων γυναῖκα τὴν Ἑκάβης ἀδελφὴν Θεανώ.*

eximium locum obtinet[1]). Cum ei Troianae vestem ornatissimam tradiderint exorantes, ut deae dedicaret, una Minervae magnum sacrificium promittit, si Troiae et Troianarum et infantium eam misereat.

Summa benignitate Theano etiam Pedaeum, Antenoris nothum, quasi suum filium educavit Il. ε 69—71. Theano Antenori nupta est, ut etiam hi auctores affirmant: Polygnotus in pictura Troiae excidii, quam Delphis in porticu, quae dicitur *Λέσχη* Cnidiorum, fecerat, Antenorem una cum familia e Troia deleta excedentem pinxit Pausania X 26, 7 et X 27, 2—4 teste; conspicimus Antenorem et Theanonem ante domum ab interitu servatos: cf. Paus. X 27, 3: *ἔστι δὲ οἰκία τε ἡ Ἀντήνορος . . . γέγραπται δὲ Θεανὼ κτλ.* In hac imagine componenda Polygnotus secutus est vestigia Leschis, qui in „Iliade parva“ cum alias res tum Ilii expugnationem laudaverat, cf. Paus. X 25, 5: *Λέσχεως οὕτω φησίν κτλ.*; X 26, 8: *Λέσχεως δὲ . . . γνωρισθῆναι . . . φησίν*; X 27, 2: *κατὰ τὸν αὐτὸν ποιητήν* (sc. Leschem).

Theano Antenoris uxor laudatur ab Apollodoro epit. Vat. 3, 34: *Ἀρχέλοχος καὶ Ἀκάμας Ἀντήνορος καὶ Θεανοῦς*, et Tzetza schol. Lycophr. 340 s.: Antenor *ἔχων γυναῖκα . . . Θεανώ*, antehom. 239 *τὴν Θεανώ*, hom. 437 *Θεανώ*. Theano Antenori nupta et Minervae sacerdos est apud Homerum (cf. p. 11 s.) et apud hos auctores: Bacchylidem c. XIV 1 ss. (v. p. 5: Theano Antenoris uxor et Minervae sacerdos Ulixem et Menelaum legatos templo recipit) et apud scriptores, qui Palladii raptum memorant: Malalam Ox. 138 (p. 109 Dind.); Cedrenum 130 D (= p. 229 Bekk.); schol. B Il. ζ 311 = Suidam s. v. *Παλλάδιον*.

Ut Quintus Smyrnaeus I 447—75 dicit, Theano, Minervae sacerdos, mulieres Troianas, quae cum maritis in pugnam egressurae erant, longa oratione intra muros retinuit. Hanc

---

[1]) Robertus, Stud. z. Il. p. 386 de Theanone scripsit: „Ich vermute, dass sie diese Würde zuerst bei der Ausbildung der Sage vom Raub des Palladiums erhalten hat“. Sed hanc fabulae memoriam tam recentibus locis (Dict. V 5, 8; Suid. s. v. *Παλλάδιον*; schol. B in Hom. Il. VI 311; Tzetz. ad Lyc. 658) invenimus, ut illam coniecturam probare non queamus.

Theanonem eandem esse atque uxorem Antenoris propterea potissimum statuo, quod a prioribus auctoribus (Homero, Bacchylide, etc. cf. p. 12) Minervae sacerdos, cui est nomen Theano, Antenoris uxor appellatur. Aliter iudicabimus de Dictye V 8: *„atque eadem nocte Antenor clam in templum Minervae venit, ubi multis precibus vi mixtis Theano, quae ei templo sacerdos erat, persuasit, ut Palladium sibi traderet“*. Haec Theano Antenoris uxor nominari vix potest. De Palladii raptu p. 30 ss. agam.

Nunc me ad artis opera verto exceptis Palladii raptus imaginibus.

In trium vasorum imaginibus, quae Aiacem Cassandram persequentem exhibent, magna cum verisimilitudine Theanonem agnoscere possumus. Sunt autem haec:

In amphora rubris figuris picta collectionis Lamberg, nunc in museo imperatorio Vindobonensi (n. XIII 790) [1]) conspicimus Aiacem, qui Cassandram ex templo rapturus est, quae frustra Palladium Minervae complectitur. A dextra vultu perterrito aufugit femina albis capillis induta longo chitone, quae sinistra manu tenet, ut I. Bankó gratiose mihi scripsit, templi clavem („Opferspiess“ Sacken-Kenner l. c. p. 199 falso scripsit), e qua vittae pendent (cf. p. 31). Adscripta ei sunt verba *Τρώων ἱέρεα*. Eam Theanonem esse probabile est.

Item in imagine vasis Nolani collectionis Albergotti (Overb.) tribus ansis praediti [2]) Aiax Cassandram vi e templo eripiens pictus est. A sinistra iuvenis armatus (Coroebus, Cassandrae sponsus) in Aiacem irruit, ut virginem eius manibus evellat. Supra Palladis simulacrum deam ipsam sinistram manum praesidii signo protendentem conspicimus. Matrona, quae a dextra

---

[1]) Laborde, Vases Lamberg II t. 24. E. Gerhard, Arch. Z. 1848, 213, t. XIII 6, 7; Gr. Vasenb. III 148, t. 49 c. Welcker, Annali V 158, 1; Rh. M. III 617. Mueller-Wieseler, Ant. Denkm. I, I 7. Overbeck, Gall. her. Bildw. 640, t. 27, 1. Klein, Annali 1877, 252. Heydemann, Iliupersis 19. Reinach, Répert. des vas. peints I 365. 5. Sacken-Kenner, D. Samml. d. k. k. Münz. u. Antik.-Cabin. p. 199 n. IV 100.

[2]) Passeri, Picturae Etrusc. (1775) II 71, t. 294 s. E. Gerhard, A. Z. 1848, 215, t. 24, 1. Overbeck l. c. 642 s., t. 27, 3. Klein l. c., Ann. 1880, 31. Reinach l. c. I 366, 1.

in fugam se conicit, exornata est veste ampla, vitta, templi clave (cf. imaginem modo descriptam). Dextra ostendit ad pateram et hydriam, quae eius ex manibus exciderunt: recte me eam Theanonem intellegere puto. Iuxta quam templi ministram valde perterritam videmus.

Denique in amphora olim collectionis Durand[1]), nunc musei Britannici, figuris rubris exornata hanc rem paulo amplius expressam invenimus. Aiax Cassandram et Neoptolemus (vel Ulixes secundum Reinachium l. c.) Polyxenam persequuntur, quae virgines tutelam Palladis implorant. Dextrorsum mulier aufugit, quae ita induta est, ut modo descripsi, clave non addita; etiam hydriam manibus eius elapsam conspicimus. Propterea Theano nominari potest[2]). In dextra superiore parte videmus Anchisem fugientem cum Ascanio nepote. A sinistra Minerva ante columnam Ionicam sedet.

In gemmis Theanonis effigiem non inveni; nam mulierem, quam Millinus, Gall. myth. I n. 564 et II t. 163 et Overbeckius, Heroen-Gall. t. XXV 12 templi sacerdotem esse voluerunt, Furtwaengler, Ant. Gemm. t. XXX 63 virum barbatum maestum in sella sedentem esse observavit. Praeterea Millinus I n. 562 et II t. 158 in alia gemma falso Theanonem agnovit, quae Cassandra est (cf. Furtwaengler XXVII 58).

C. VI. De Antenoridis.

Priusquam ad singula accedam, pauca praefabor. Verbum „Antenoridae“ hoc loco ita intellego, ut tantum filios et filiam Antenoris, non simul etiam Antenorem significet, de qua verbi ‚Ἀντηνορίδαι‘ significatione infra agam[3]). In singulis filiis tractandis sequar hunc ordinem: Coone maximo natu et Agenore illustrissimo praemissis sequentur: Acamas, Archelochus, Polybus, Demoleon, Helicaon cum Laodica uxore, Iphidamas,

---

[1]) H. B. Walters, Catal. of the Greek and Etruscan Vases in the British Museum IV p. 81: F 160 omnes viros doctos, qui de ea scripserunt, enumerat; cf. etiam Reinach l. c. I 367.

[2]) Walters: „Hecuba, or an aged priestess“.

[3]) Cf. R. Foerster, Verh. Goerl. Phil. Vers. 1889, 435 s. et Jahrb. arch. Inst. 1906, 20 ss.

Laodamas, Laodocus, Pedaeus ab Homero laudati; Glaucus, Eurymachus, Medon, Thersilochus, Hippolochus, Polydamas, Laocoon, Crino filia ab auctoribus posterioribus memorati.

1. Incipio ergo a Coone, qui omnibus fratribus aetate anteit (Il. λ 249 πρεσβυγενὴς Ἀντηνορίδης). Il. λ 248—63 Coon dolore Iphidamantis fratris ab Agamemnone interfecti incitatus illius bracchio vulnus affert; sed fratris corpus in suorum castra tracturus ab Atrida ipse de improviso sub clipeo graviter (τ 51 ss.) vulneratus concidit [1]).

Res ex Homero iteratur a Tzetza hom. 194: καὶ τότε τὸν (Atriden) ἀπέπαυσε Κόων δορὶ χεῖρα τορήσας. Hoc Agamemnonis et Coonis certamen artifex Cypseli cistae [2]) in imaginibus quarti circuli illustravit. Pausanias illius operis imagines describens hoc de Agenore et Iphidamante narrat: V 19, 4: Ἰφιδάμαντος δὲ τοῦ Ἀντήνορος κειμένου μαχόμενος πρὸς Ἀγαμέμνονα ὑπὲρ αὐτοῦ Κόων ἐστίν. Φόβος δὲ ἐπὶ τοῦ Ἀγαμέμνονος τῇ ἀσπίδι ἔπεστιν ἔχων τὴν κεφαλὴν λέοντος. ἐπιγράμματα δὲ ὑπὲρ μὲν τοῦ Ἰφιδάμαντος νεκροῦ· Ἰφιδάμας οὗτός γε Κόων περιμάρναται αὐτοῦ· τοῦ Ἀγαμέμνονος δὲ ἐπὶ τῇ ἀσπίδι [3])· οὗτος μὲν Φόβος ἐστὶ βροτῶν, ὁ δ' ἔχων Ἀγαμέμνων.

Pherecydem Coonem Cynonem appellasse tradit schol. B Il. XIX 53.

---

[1]) Robertus, Stud. z. Il. 384 censet hanc Iphidamantis atque Coonis cum Agamemnone pugnam rem plane novam („eine völlige Neubildung") esse, cum carmen, quod ex Iliade segregatum ab eo „Urilias" nominatur, eam non continuerit, sed vv. λ 218—63, qui eius quidem sententia postea compositi sunt. P. 156 ss. probare conatur in illo Iliadis, ut ita dicam, fundamento Agamemnonem ab Hectore vulnerari; sed hanc coniecturam nullo alio argumento fulcit, nisi quod Hectoris unius sit Agamemnonem vulnerare (p. 157).

[2]) Cf. H. St. Jones, Journ. of Hell. stud. XIV (1894) 30—80 (t. I) et eos viros doctos, quos p. 30 [1] enumeravit, praeterea Pantazidem Ἀθήναιον 9 (1890) 114—30; Pregerum inscr. gr. metr. 186, 6—7; Paus. ed. Hitzig et Bluemner III (1901) p. 412; Froehnerum, Rhein. Mus. 47, 291 s.

[3]) Agamemnonis scutum ornatum est figura Terroris, quae picta erat gerens leonis caput. Furtwaengler (Roscher, lex. myth. s. v. Gorgones p. 1702) ostendit artificem talem Timoris typum deduxisse ex exemplis artis orientalis et propterea, quod haec figura Graecis non satis cognita fuisset, illo epigrammate illustrasse.

2. Omnium Antenoridarum maxime egregius est Agenor, qui ab Homero in belli peritissimis ducibus numeratur: λ 56 ss.: Agenor cum Acamante et Polybo fratribus, cum Hectore, Polydamante, Aenea copiis Troianis praeest, μ 93 cum Paride et Alcathoo. ν 489 ss. Aeneas, Deiphobus, Paris, Agenor et ϱ 534 ss. Polydamas, Agenor, Aeneas, Hector duces componuntur. Quodsi Luckenbachius, JfPhilol. Suppl. XI 608 ostendit in imagine vasis Vulcis reperti, nunc Monacensis (cf. Gerhard, ausserl. Vasenb. III 223; Iahn, Catal. Mon. 124 p. 37; Furtwaengler, Führ. durch die Vasen-Samml. König Ludwigs I. p. 23), effectos esse Hectorem, Aeneam, Deiphobum, alium Troianum, cuius nominis ne vestigia quidem exstant, pugnantes cum Achille de Troili corpore, conicio hunc quartum Agenorem fuisse [1]) (cf. Il. ξ 425 ss.), de quo infra agam.

Quam fortiter Agenor pugnaverit, legimus Il. δ 467—69. Elephenor, dux Abantum, corpus Echepoli, ut spoliis privet, e pugnantibus trahere conatur. Quo in negotio latus praebentem Agenor gladio percutit [2]). Hoc repetivit Tzetzes hom. 38 et schol. Lyc. 1034 (cf. Il. β 536 ss.). Il. ξ 423 ss. Agenor Hectori ab Aiace proculso una cum Troianorum eximiis ducibus auxilio venit; π 340 Clonium ducem Boeotorum necat, quod ex Homero repetivit Hyginus fab. 113: *Agenor* (sc. occidit) *Elephenorem, idem Clonium.* Cf. fab. 115: *Agenor* (sc. occidit) *numero II.*

Agenor Il. ν 596 ss. amico in periculo auxilium fert: Cum Menelaus Heleni manum telo perfoderit, hoc e vulnere tracto laesum obligat [3]). Agenorem iam maritum esse atque

---

[1]) Overbeckius Her. Gall. p. 365 eum Politem appellat.

[2]) Robertus l. c. p. 382 censet Agenorem hoc loco commemoratum Antenoridam non esse; nam in carmine, quod „Urilias“ nominat, genus Antenoris nondum exstitisse. Sed omnino nescio, cur Agenor huius loci alius sit atque Agenor locorum aliorum; praeterea Robertus p. 383 concedit ξ 425 et ν 598 et π 340 poetam de Agenore Antenorida verba facere, quamquam ne his quidem locis genus addidit.

[3]) Similes res Homerus memoravit δ 210 ss., ubi Machaon Menelai vulnus obligat, ε 108 ss., ubi Sthenelus sagittam ex Diomedis vulnere trahit, aliis locis.

ita Coone non multo minorem natu intellegimus ex υ 474—77: Echeclum, Agenoris filium, Achilles interficit. Haec res a Polygnoto secundum vestigia Iliadis parvae a Lesche poeta compositae in excidii Troiae imagine picta erat, ut tradidit Pausanias X 27, 2: *εἰσὶ δὲ καὶ ἐπάνω τοῦ Κοροίβου Πρίαμος καὶ Ἀξίων τε καὶ Ἀγήνωρ . . . καὶ οὕτω φαίνοιτο ἂν Ἔχεκλος μὲν φονευθεὶς ὁ Ἀγήνορος ὑπὸ Ἀχιλλέως, Ἀγήνωρ δὲ αὐτὸς ὑπὸ τοῦ Νεοπτολέμου.* De Agenoris morte infra plura addam. Homerus de Agenore permultis versibus egit Il. φ 544—611: Apollo Agenorem Antenoridarum fortissimum impellit, ut Achilli obsistere audeat. Agenor secum deliberat, utrum clam ex pugna effugiat an Graecorum fortissimo duci resistere conetur. Pelidam se virtute vincere non posse non ignorat; sed quamquam ille sit deae filius, tamen hominem esse mortalem neque tutum a vulneribus. Itaque eius impetum exspectare et sustinere constituit. Cum Agenor iaculo misso hostem non vulneraverit, Apollo, ne cliens a Pelida mortem accipiat, efficit, ut nube occultus e pugna effugere possit. Dum Achilles deum in Agenoris formam mutatum persequitur, Troiani in urbem se recipere possunt. Ad eandem rem spectat Dionis Chrysostomi *Τρωικοῦ* § 95 p. 177 Reisk.: *Ἀγήνορα δὲ οὐ καταλαβόντα ὁρμήσαντα διώκειν.* Nam sine dubio recte Ioannes de Arnim pro codicum *Ἀντήνορα* restituit *Ἀγήνορα* ex Il. φ 544 ss. Nomina *Ἀντήνωρ* et *Ἀγήνωρ* facile confusa esse affirmat locus infra (c. IX) memoratus. Hanc rem ex Iliade repetitam legimus apud Hyginum fab. 112: „*idem* (sc. Achilles dimicavit) *cum Agenore: Agenorem servavit Apollo*“.

Pausanias X 25, 5 affirmat Polygnotum secundum Leschis ‚Iliadem parvam‘ hoc in Cnidiorum lescha pinxisse: Lycomedes Creontis filius, quem in manu Agenor vulneravit, consedit iuxta Megetem. Cum Ilias (cf. ι 84, μ 366, ρ 344, τ 340) eius rei mentionem non fecerit, haud scio an Lesches poeta hoc novaverit.

Item Agenorem a Neoptolemo interfectum esse Lesches novavit, quod et ipsum eius vestigia secutus Polygnotus pinxit, cf. Paus. X 27, 2.

Praeterea Gerhardus et Overbeckius censuerunt in am-

phora musei Berolinensis [1]) no. 1685 (Furtw.) ornata figuris nigris, quae Troiae expugnationem exhibet, hominis barbati corpus, cuius superior pars inter Neoptolemi pedes conspicitur, esse Agenoris a Neoptolemo interfecti. Contra Robertus (Bild und Lied p. 60 s., 68) mavult illud corpus intellegere Deiphobi, quem tertium Helenae maritum Menelaus modo occiderit. Furtwaengler haesitat scribens: „Polites oder Agenor nach der gewöhnlichen Erklärung, Deiphobos nach Robert". Sed quia inter Neoptolemi pedes iacet, pro Agenore eum habendum puto.

O. Iahnius (Griech. Bilderchronik. t. III D [1] et D [2]) fragmentum tabulae publicavit, quod (p. 2 et 5) fr. Parisinum (Veronense) secundum appellat. In medio spatio quinque res deductae ex „Aethiopide" Arctini illustrantur (cf. inscriptiones in laeva parte appositas). Litteras ad Agenorem spectantes legimus, quae supplendae sunt in [Νεοπτόλεμος ἀ]π[οκ|τείνει *Πρίαμον καὶ Ἀγήνορα*. Quis sit Agenor, discerni non potest. Iahnius p. 38 censuit fragmentum e Stesichori „Iliuperside", Paulckius (de tab. Iliaca quaestiones Stesichoreae diss. Kil. 1897) p. 48 ex „Iliuperside aliqua pendere".

Ut apud Leschem, Arctinum, Polygnotum, ita apud Quintum Smyrnaeum XIII 218 Agenor a Neoptolemo necatur. Praeterea etiam apud eum, ut apud Homerum, fortissimum se praestat: III 214 ss.: una cum Glauco, Hippolochi filio, Aenea, aliis Troianis Agenor corpus Achillis in urbem trahere conatur; VI 624—30: Molus, qui cum Sthenelo rege Argivorum Troiam venerat, cum iam e pugna effugere vellet, ab Agenore a tergo gravissime vulneratus cecidit; VIII 310 ss.: alium Argivum, Hippomenem, Agenor caedit. Quo mortuo iratus Teucer amicus telo celerrime in Agenorem iacto declinantem non tangit; XI 86 ss.: tertium Agenor Hippasum occidit; XI 184 ss.: quartum denique Graecum quendam nominis ignoti Agenor trucidat. Iam Agenor proelii locum relicturus erat, cum subito Argivus quidam in eum invadens pugnare cogit. Agenor hostis bracchium bipenni contundit, cuius e latere diffisso

[1]) Gerhard, Etrusc. u. kamp. Vasenb. 42 t. XXI; Overbeck, Gall. her. Bildw. 36, 18; Furtwaengler, Beschr. d. Vasens. i. (Berl.) Antiqu. n. 1685, qui enumerat reliquos viros doctos, qui de hac amphora scripserunt.

sanguis undique prosilit; mortuus statim equo delabitur, qui domino amisso per campum currit. Denique Agenoris fortem animum ex XI 348 ss. cognoscimus: Agenor uno cum Heleno portam Idaeam ab hostibus ingredientibus defendit verbis ac virtutis exemplo Troianos incitans.

3. 4. Acamas Antenorida ab Homero belli peritissimus laudatur una cum Archelocho fratre et Aenea Il. β 819—23 et μ 98—100: Archelochus et Acamas, quia Antenoris principis filii et pugnandi peritissimi sunt, una cum Aenea Dardanorum quarto agmini praesunt, quod ex Homero repetivit Apollodori epitoma 3, 34 = Apoll. fr. Sabbaitica[1]) Rhein. Mus. 46, 169, 20—23. Acamas Antenorida nominatur a schol. Il. ν 643: *πολλαὶ γὰρ παρὰ τῷ ποιητῇ ὁμωνυμίαι . . . Ἀκάμαντες δύο, ὁ μὲν Εὐσώρου, ὁ δὲ Ἀντήνορος* et ab Hesychio s. v. *ἀκάμαντον· καὶ κύριον ὄνομα ἑνὸς τῶν Ἀντήνορος υἱῶν.* — Acamantis mors a poeta describitur Il. π 342 ss.: currum ascensurus Merionis telo transfigitur.

Novas res, quae ad Acamantem pertinent, apud Quintum Smyrnaeum legimus: VI 574 ss.: Thrasymedes, Nestoris filius, eum tam graviter vulnerat, ut pugnam relinquat. Il. π 342 ss. Meriones Acamantem, Quint. X 167 s. Philoctetes, Poeantis filius, eum interficit. Archelochi iam Il. β 819 ss. et μ 98 ss. commemorati mors ξ 462—89 ita illustratur: Aiax Polydamantem, qui modo verbis Achivos graviter irriserat, hasta percussurus erat. Sed illo effugiente telum magna vi iactum Archelochi, qui Polydamantem in pugnam comitatus est, cervices penetrat. Statim exanimatus procidit. Fratrem ab Aiace interfectum ulturus Acamas Promachum caedit.

Hanc Aiacis et Archelochi pugnam in tabulae Iliacae[2]) quae dicitur ea zona conspicimus, qua res libri ξ Iliadis illustrantur. Quantum ex Paulckiana tabulae imagine cognoscere possumus, extrema ordinis pars sinistra praebet tres personas: Aiacem (*Αἴας Λοκρός*), qui virum hasta armatum a

---

[1]) Papadopulus l. c. p. 169, 22 falso scripsit *Ἀρχέλαος* pro *Ἀρχέλοχος*.

[2]) O. Iahnius, Gr. Bilderchron. t. I et I*, p. 10 ss. CIGr. 6125 = IGr. XIV n. 1284. Novam tabulae imaginem solis ope effectam exhibuit Paulckius l. c.

Paulckio p. 20 recte ex Il. ξ 462 ss. Polydamantem [1]) appellatum telo petit; sed cum ille Aiacis telum evitaverit, Archelochum (Ἀρχέ-λοχος) inopinantem hasta transfodit. Quae explicatio si recta est, artifex falso Aiaci cognomen Λοκρός addidit, cum (v. 459 s. Αἴαντι . . τῷ Τελαμωνιάδῃ) Aiax Telamonius Archelochum interfecerit.

Acamas et Archelochus Antenoridae nominantur ab Apollodoro epit. 3, 34 (Wag.) et mythographo Vaticano primo 304, 46: „*Antenor genuit Artilochum et Acamanta*". Bodius (p. 65) pro „*Artilocho*" (‚*artilocum*' praebet cod. Regin.) „*Antilochum*" legit, quem Antenoridam nusquam inveni; melius ‚*Archelochum*' legimus. Archelochi nomen a Quinto XI 91 Troiano datum est, quem Menelaus necat.

5. Apud Homerum Il. λ 51 ss. (cf. p. 16) una cum Hectore et Polydamante et Aenea Polybus, Agenor, Acamas copiis Troianis praesunt. Etiam Polybus apud Quintum VII 86 s. Troianus factus est. De amphora, quae Polybum quendam praebet, infra (p. 24) agam.

6. Demoleon Antenorida ab Achille interficitur, ut Homerus narrat Il. υ 395 ss. Demoleontis nomen a Quinto X 119 ss. in Lacedaemonium quendam, Hippasi filium, translatum est.

7. Ut Apollo Agenoris speciem p. 17, ita Helicaonis Antenoridae uxoris Laodicae formam Iris induit, quae Helenae deorum consilium deferat Il. γ 121 ss. Laodicae pulchritudo laudatur Il. ξ 252 et Apollod. epit. XXI 23 (Wagn.); in Priami filiis numeratur Apollod. bibl. III 12, 5 et Hygin. fab. 90.

Videmus Antenorem patrem cum Priamo non solum amicitiae sed etiam affinitatis vinculo coniunctum esse per Helicaonem et Laodicam. Praeterea concludere possumus Helicaonem fuisse inter fratrum maiores natos, ut et Coonem et Agenorem.

---

[1]) Iahnius (p. 16) eum ex Il. ξ 442 ss. Satnium ab Aiace Locrensi vulneratum nominat, cuius de corpore pugna exoritur, in qua Archelochus ab Aiace Telamonio necatur; artificem has duas pugnas in unam contraxisse. Sed hac interpretatione discrepantia cognominum Aiacis non solvitur; contra Paulckii (v. supra) explicatio melius cum textu congruit.

Helicaon [1]) Laodicae maritus in Leschis ‚Iliade parva' memoratur, ut dicit Pausanias X 26, 7—8: *τοῦ βωμοῦ δὲ ἐπέκεινα Λαοδίκην ἔγραψεν ἑστῶσαν . . . τοῦ Ἑλικάονος τὴν γυναῖκα.* Ita Leschem secutus Polygnotus in Iliuperside Delphis eam pinxit. De Helicaonis et Laodicae patria deleta fatis in cap. VIII pluribus agam; nunc quae poetae Alexandrini de Laodica nos docent, proferam. Ut Pausanias X 26, 8 dicit, Euphorio Chalcidensis poeta Laodicae fabulam longe aliter ac reliqui poetae narravit. Secundum Euphorionis fragmentum (= fr. 55 Meineke, fr. 68 Scheidweiler, Euph. fr. diss. Bonn 1908, 55), quod Tzetzes schol. in Lyc. 495 servavit, Laodica ex Acamante Munitum peperit (cf. p. 6), quem piscantem in Thracia anguis morsu interfecit. Cui Euphorionis carmini hoc fragmentum adscribamus (cf. Skutsch, Paul.-Wiss. VI 1181 s. v. Euph.) et quo ex fonte poeta hauserit (l. c. 1182 ss.), incertum est. Ex Euphorione vero hausit Lycophro Alex. versibus 498 ss. (cf. Skutsch l. c. 1185 ss.), quos Tzetzes illustrat ad vv. 495, 497, 447, (quem locum Scheidweiler l. c. 55 omisit). Ut Lycophro v. 500 ss. addit, Laodica morte filii commota ipsa mortua est. Muniti fatum, quod Euphorio et Lycophro tradiderunt, confirmatur ab Hegesippo in ‚Milesiacis' apud Parthenium narr. amat. XVI (cf. Meineke l. c. p. 98 et Scheidweiler p. 55).

Non Acamas, sed Demophon Muniti pater nominatur a Plutarchi fonte, cf. Thes. 34: *Οἱ δὲ καὶ τοῦτο τὸ ἔπος διαβάλλουσι καὶ περὶ Μουνύχου* (i. e. *Μουνίτου*) *μυθολογίαν, ὃν ἐκ Δημοφῶντος Λαοδίκης κρύφα τεκούσης ἐν Ἰλίῳ συνεκθρέψαι τὴν Αἴθραν λέγουσιν.* Telephus Laodicae maritus traditur ab Hygino fab. 101.

8. De Iphidamante Antenorida hoc legimus Il. λ 218—47: Iphidamas [2]) Antenorida a Cisseo avo rege Thracum educatus matris suae sororem in matrimonium duxerat, cum bellum Troianum exortum est. Tamen uxorem relinquere et Troianis

[1]) Stiehlius, Philol. XV 594 Helicaonem falso patrem Melanippi nominavit, cuius pater est Hicetaon, cf. Il. ο 546 s., 576. E versibus υ 237 s., quos Stiehlius falso affert, elucet Hicetaonem non Antenoris, sed Laomedontis filium esse.

[2]) Cf. Robert, Stud. z. Il. p. 384 s.

cum duodecim navibus auxilio venire non dubitavit. In pugna Agamemnonem gladio perstringere frusta conatur, sed illius hasta perculsus moritur. Ita ei et a suis et ab uxore carissima remoto sors miserrima obtigit. Ad hoc spectant schol. Il. λ 221 et 226; Eustathius in Il. p. 840. Ex Homero fluxerunt Strabonis VII 330 C: *Κισσῆ, οὗ μέμνηται ὁ ποιητής· Κισσῆς τόν γ' ἔθρεψε, τὸν Ἰφιδάμαντα λέγων* et VII 330 C: *ἐκ δὲ τοῦ Κισσοῦ τούτου ὑπονοήσειεν ἄν τις γενέσθαι καὶ τὸν παρ' Ὁμήρῳ Ἰφιδάμαντα, οὗ ὁ πάππος Κισσεὺς ἔθρεψεν αὐτόν, φησίν, ἐν Θρήκῃ.* Iphidamas uxorem sibi multis uberrimisque donis nuptialibus paravit secundum Pausaniam IV 36, 4, qui hoc ex Homero repetivit. Pugnam, quae de Iphidamantis corpore inter Agamemnonem et Coonem oritur, in quarto spatio Cypseli arcae fictam esse iam p. 15 ostendi. Denique Iphidamantis mortem ut apud Homerum, ita apud Hyginum fab. 113 legimus: *Agamemnon* (sc. occidit) *Iphidamantem.*

9. Laodamantis Antenoridae mors ab Homero laudatur ο 516—17: Aiax Telamonius eum necat. Ex Antenorida apud Quintum Smyrnaeum XI 20 s. Lycius factus est, quem Neoptolemus interficit.

10. Ut Apollo Agenoris (cf. p. 17), Iris Laodicae (cf. p. 20) speciem induerat, ita Minerva accepta Laodoci Antenoridae forma in Troianos ruit et Pandarum quaerit, quem, ut foedus ictum laedat, incitat, ut Ilias δ 86—88 narrat, quod Eustathius ad Il. p. 449 exscripsit. Secundum Quintum XI 85 Laodocus a Diomede Tydei filio interficitur, sed auctor eum Antenoridam esse non diserte dicit.

Laodocum fortasse recte intellegimus in imagine vasis figuris nigris ornati et Vulcis reperti [1]), quae pugnam de Achillis corpore ortam exhibet. A Graecorum partibus pugnant Aiax, Diomedes, Sthenelus, a Troianorum Glaucus, Paris, Aeneas, vir ignotus, quem Hirtius p. 225 Agenorem appellari posse dicit, Leodocus (*ΛΕΟΔΟΚΟΣ*). Valde probabile est huius operis artificem ex eodem fonte quo Quintum hausisse, cum videamus Laodocum

[1]) Mon. d. Inst. arch. I t. 51; Hirt, Ann. V 224 ss.; Gaedechens, Roscher, Myth. lex. s. v. Glaucus n. 2.

hasta Diomedis collo perculso concidisse. Sed e tali consensu concludere non possumus Laodocum vasis esse Antenoridam, cum ne Quintus quidem dixerit, quis eius pater fuerit. De Glauco infra agam.

11. Pedaeus, Antenoris nothus, quem Theano educaverat, in proeliis ante Troiae moenia commissis moritur: Il. ε 69—75 (quod iteravit Tzetzes hom. 59) Meges a tergo hasta cervices eius percutit et per os transfodit.

Ex Homero igitur hos undecim viros: Coonem, Acamantem, Archelochum, Polybum, Agenorem, Demoleontem, Helicaonem, Iphidamantem, Laodamantem, Laodocum, Pedaeum Antenoridas cognoscimus; ex poetis posterioribus hosce:

12. In Apollodori epitoma Vat. XXI 19 (v. cap. VIII), qui locus fluxit ex Arctini „Iliuperside", Glaucus[1]) Antenorida a Menelao et Ulixe in Troiae eversione servatur.

13. Ut Pausanias X 27, 3 et Tzetzes ad Lyc. 874 (ex Lysimachi „Nostis") tradunt, Glaucus una cum Eurymacho fratre patriae superstes fuit et cum Menelao Cyrenas profectus Antenoridarum collem condidit. Sed secundum Vergilium Aen. VI 481 ss. et Dictyn IV 7; V 2 in bello Troiano per Agamemnonem (Dict. IV 7) cecidit. De his rebus agam, ubi ad Antenorem servatum pervenero. Apud Dictyem III 26 Glaucus Alexandri in Graeciam proficiscentis comes est, qua de causa ab Antenore e familia eiectus est (V 2).

Glaucus quidam non modo in Polygnoti imagine, sed etiam in illa p. 22 commemorata vasis imagine conspicitur, quem Achillis corpus e pugna trahentem Aiax hasta vulnerat. Sed hic Glaucus vel Antenoris vel Hippolochi filius intellegi potest, cum illud quod Diomedes in conspectu eius pugna desistit, ad hospitium et Hippolochi et Antenoris respicere possit. Quin etiam malo contra Gaedechensium (l. c. p. 1677), qui eum Troianum modo appellat, Glaucum Hippolochi filium nominare, cum scaena vasis pictura reddita cum Quinto III 37 ss. concinat, qui item de Hippolochi filio verba facit.

Praeterea Gaedechensius l. c. memoravit amphoram figuris

---

[1]) Cf. Weicker, Paul.-Wiss. VII (1910) s. v. Glaukos n. 12.

nigris ornatam Vulcis repertam[1]) collectionis Durandianae, nunc thesauri nummorum bibliothecae nationalis Parisinae. Videmus inter Troianos in pugnam profecturos ab extrema dextra parte equitem armatum casside, clipeo, quem exornat avis (aquila secundum De Ridderum p. 110), hastis duabus, ocreis, Glaucum (*Γλαῦκος*) nominatum, iuxta quem adulescens equitat. Ante eos stat vir indutus longo chitone usque ad pedes pendente, qui militi obviam eunti manus protendit, cui adscriptum est nomen *Πόλυβος*. Dubium est, utrum sit Antenorida necne (cf. p. 20)[2]).

Denique Gerhardus l. c. p. 89 tab. 190 et 191 in calice ornato figuris nigris Glaucum se invenisse putat. Agitur de proelio, quod de Patrocli corpore factum est; ab altero latere videmus Aiacem (*Αἴας*) pugnantem cum Hectore (*Ἕκτωρ*) et duobus militibus, quos Aeneam et Glaucum esse Gerhardus coniecit.

Eurymachus etiam a Quinto XI 129 s., 137 ss. in Antenoridis ponitur: Apollo Aeneam et Eurymachum animo implet; qui impetu ac vi Achivos fugant et fugientes caedunt (XI 166 ss., 182 s.). XIV 320—23 Argivi Antenori corpus Polyxenae humandum tradunt, quia Eurymachi sponsa erat.

14. 15. Loco Vergiliano (Aen. VI 481 ss.) praeter Glaucum etiam Medon et Thersilochus Antenoridae nominantur: Schaper in commentario ad h. l. adnotavit illos tres ab Homero λ 59 sq. Antenoridas nominatos esse. Apertum est eum erravisse. Censeo illud Vergili spectare ad ϱ 215 s.: Hector comites suos, in quibus Glaucus, Medon, Thersilochus numerantur, ad pugnam incitat; sed poeta eos tantum Troianos appellat, non Antenoridas. Itaque conicio illum Vergili versum e contaminatione versus Il. λ 59 ineuntis et ϱ 216 exeuntis prodiisse; facile est intellectu Vergilium illud Homeri in suum carmen transtulisse, praesertim cum et ipse versus initio illud „*tris Antenoridas*" posuerit; fortasse etiam

[1]) Ed. Gerhard, Auserl. Vasenb. III 190 s. De Ridder, Catal. des vases peints de la bibl. nat. I n. 203, p. 109 omnes viros doctos, qui eam publicaverunt et descripserunt, enumeravit; quibus adde Reinachium, Répert. d. vas. II 95.

[2]) Gaedechens l. c. errat scribens Glaucum esse inter Amazones et Troianos. Nam conspicimus Troianos arma sibi induentes, in quo a feminis adiuvantur.

Arctino fonte usus est, quem iam de Glauco Antenorida in „Iliuperside“ verba fecisse supra (p. 23) memoravi. Etiam Nordenus in commentario ad VI 481 ss. suspicatus est Vergilium hos tres Antenoridas et, quem una nominat „*Cererique sacrum Polybotem*“, hausisse ex cyclico quodam poeta. Quem Arctinum „Iliupersidos“ auctorem fuisse iam Wagner, cur. mythogr. p. 238 coniecerat.

16. Ut Tzetzes ad Lyc. 874 ex Lysimachi ‚Nostorum‘ libro primo tradit, Hippolochus Antenorida comitatus est Glaucum et Acamantem fratres patriam relinquentes. De re ipsa infra plura addam.

17. Aeque res se habet de Polydamante Antenorida, qui cum Antenore, Theanone, Helicaone fratre, sociis aliis post Troiam deletam in Illyricum pervenit, ut Servius ad Verg. Aen. I 242 adnotavit.

18. A Tzetza ad Lyc. 347 *ὁ δὲ Λαοκόων υἱὸς ἦν Ἀντήνορος* Laocoon Antenorida nominatur, quod eum e Lysimachi ‚Nostis‘ et fortasse e Sophoclis ‚Laocoonte‘ hausisse Robertus ‚Bild u. Lied‘ p. 198 ss. statuit, qui nomen Laocoontis a poeta recentiore vel ab Arctino, Sophoclis fonte, compositum esse ex Coone et Laodoco vel derivatum e Coone solo coniecit.

19. Denique etiam Antenoris filiam Crinonem pictam videmus in Polygnoti illa imagine Troica (Paus. X 27, 4), cuius fortasse item Lesches in ‚Iliade parva‘ mentionem fecerat [1]), quem Polygnoti fontem esse iam supra dixi.

Cognoscimus igitur e posterioribus scriptoribus Antenoridas novos hos: Glaucum, Eurymachum, Medontem, Thersilochum, Hippolochum, Polydamantem, Laocoontem filios, Crinonem filiam.

---

[1]) Contra illam Crinonem additamentum modo Polygnoti pictoris esse censuerunt H. Luckenbachius, JfklPhil. Suppl. XI 663, 7 et C. Robertus, „Bild und Lied“ p. 10, qui ‚Iliupersis‘ p. 66 eam Glauci uxorem esse coniecit.

C. VII. De Antenore patriae proditore et de Theanone in Palladio rapiendo adiutrice.

I. Antenorem a Lycophrone patriae proditorem nominatum esse testatur Tzetzes Chil. VI 516 s.: *Λυκόφρων τὸν Ἀντήνορα Τροίας προδότην λέγει | ἀναψαλάξαντα ζυγὰ δουρείου γαστρὸς ἵππου.*

Qui versus spectant ad Lycophronis ‚Alexandram‘ 340—43: *ὅταν χέλυδρος πυρσὸν ὠμόθριξ βαρὺν ἀπεμπολητὴς τῆς φυταλμίας χθονὸς | φλέξας τὸν ὠδίνοντα μορμωτὸν λόχον | ἀναψαλάξῃ γαστρὸς ἑλκύσας ζυγά*, quos versus pluribus explicant metaphrasis (ed. Scheer): *ὁπόταν ὁ Ἀντήνωρ λαμπρὸν ὁ ὁμῆλιξ, ὁ ὁμογέρων. τὸ δὲ βαρὺν πολὺν ἢ μέγαν πορθητής, προδότης τῆς πατρίδος, τῆς φυσάσης γῆς φλέξας εἰς σημεῖον τὸν δούρειον ἵππον φοβερὸν ἔνεδρον* et scholium: *φασὶ τὸν Ἀντήνορα προδοῦναι τοῖς Ἕλλησιν ἐπὶ μισθῷ τῆς μετὰ ταῦτα βασιλείας . . . ὁ Ἀντήνωρ γὰρ ἐρῶν τῆς βασιλείας προδέδωκε τοῖς Ἕλλησι τὴν Τροίαν ὑποσχομένοις αὐτὸν καταστήσειν βασιλέα, εἰ τῆς πόλεως ἄρξουσιν.*

Fabula, ad quam Lycophro versibus illis obscuris alludit, haec est: Antenor (*χέλυδρος ὠμόθριξ*) noctu equum ligneum, quo fortissimi Graecorum milites abditi erant, facibus accensis aperuit; ita regnum ipse petens patriam hostibus prodidit. Probabile est Lycophronem hanc Antenoris proditionem hausisse e vetustiore carmine epico [1]), ‚Iliade parva‘, si recte iudico, in qua secundum Apollodori epitomam III 29 Antenor Ulixem et Menelaum servavit et V 21 Glaucus Antenorida ab his servatus est. A Dionysio Halicarnaseo ant. Rom. I 46 in medio relinquitur, utrum Antenor cives suos prodiderit necne: *Ἰλίου κρατηθέντος ὑπ᾽ Ἀχαιῶν, εἴτε τοῦ δουρείου ἵππου τῇ ἀπάτῃ, ὡς Ὁμήρῳ πεποίηται, εἴτε τῇ προδοσίᾳ τῶν Ἀντηνοριδῶν εἴτε ἄλλως πως.* Illud *τῇ προδοσίᾳ τῶν Ἀντηνοριδῶν* ita intellego [2]), ut Antenorem et Theanonem uxorem et filios in ex-

[1]) Sic Heynius, excurs. VII * ad Verg. Aen.; C. v. Holzinger, Lyc. Alexandra p. 14; Gassius, De Lycophrone mythographo, diss. Lips. 1910 p. 12, 34 sq., 58.

[2]) Cf. R. Foerster, Arch. Jahrb. 1906 p. 22.

pugnanda Troia simili modo, quo apud Lycophronem, Graecos adiuvisse auctor censuerit (cf. Dictys IV 22—V 10).

Antenoris proditio confirmatur a Servio in Verg. Aen. I 647, I 242, II 15: I 647 Helena cum Antenore patriam prodit. Huius rei vestigia inveniuntur apud Ioannem Siceliotam *συνοψ. χρον.* (ed. Heinr.) p. 9: *Ἑλένη νυκτὸς εἰς οἶκον Ἀντήνορος παραγίνεται δεομένη δι' αὐτοῦ σωθῆναι καὶ προσπεσεῖν Μενελάῳ, ὅπερ δι' Ἀντήνορος γέγονε, προσέθηκε δὲ καὶ τοῦτο τοῖς πάκτοις καὶ τοῖς ὅρκοις.*

Serv. Aen. I 242: „*iure hunc* (= Antenorem) *vexari tamquam proditorem patriae, . . . hi enim duo* (Aeneas et Antenor) *Troiam prodidisse secundum Livium, quod et Vergilius per transitum tangit, ubi ait* se quoque principibus permixtum agnovit Achivis, *et excusat Horatius dicens* ardentem sine fraude Troiam, *hoc est sine proditione: quae quidem excusatio non vacat; nemo enim excusat nisi rem plenam suspicionis: Sisenna tamen dicit solum Antenorem prodidisse . . . ob hoc autem creditur Graecis Antenor patriam prodidisse, quia, sicut superius dictum est, et auctor Helenae reddendae fuit et legatos, qui propter Helenam venerant, suscepit hospitio et Ulixem in mendici habitu agnitum non prodidit*". Quattuor alii Antenoris proditionis testes nominantur: Livius qui I 1: „*Duobus* (sc. Troianis) inquit *Aeneae Antenorique et vetusti iure hospitii et quia pacis reddendaeque Helenae semper auctores fuerant, omnes ius belli Achivos abstinuisse*". Apparet Servium has duas proditionis causas ex ipso Livio hausisse; tertiam, quod Antenor Ulixem in mendici habitu Troiam venientem agnovit neque prodidit, ignoto fonti debet. Secundum Vergili Aen. I 488 Aeneas, qui a Venere nubilo tectus Carthaginem abductus est, templum Iunonis a Didone conditum contemplatur. Aeneae proditoris testimonium hoc est, non Antenoris, cuius proditionem ne Aen. II 242 quidem „*Antenor . . . mediis elapsus Achivis*" affirmat. Horatium proditionem excusavisse Servius scribit respiciens carm. saec. 41 ss.: „*cui (parti) per ardentem sine fraude Troiam | castus Aeneas patriae superstes | liberum munivit iter*". Servius Horatii versus ita recte mihi interpretari videtur, ut poeta Aeneam proditionis crimine liberare voluerit; nam illud „*sine fraude*"

propter verborum ordinem non ad *„liberum munivit iter“* [1]), sed ad *„ardentem . . Troiam“* referendum esse censeo [2]). De Antenore locus nil praebet. Illud Corneli Sisennae [3]) fragmentum *„Sisenna . . . prodidisse“* ita intellegendum est, ut Aeneam proditionis expertem fuisse et Antenori soli culpam tribuendam esse auctor censuerit. Sed qualis haec proditio fuerit, non indicat.

Ut Servius ad Aen. II 15 dicit, Antenor eam portam, quam hostibus aperuit, equo picto significaverat; quam rem e memoria illius equi lignei, quem Antenor Graecis aperuerat, fictam esse mihi probabile videtur; de altera re, domo Antenoris a Graecis servata, in capite VIII agam. Fortasse ad rem a Servio l. l. memoratam redit, quod Dares c. IV tradit: portarum Iliacarum *„haec sunt nomina: Antenorea“* etc., praesertim cum in proditione narranda cum Servio (II 15) fere congruat: Dar. c. XXXVIII—XLII: Antenor, qui cum Aenea, Polydamante, Ucalegonte, Dolone se coniunxit, ut patriam proderent et sibi suisque caverent, Polydamantem ad Agamemnonem misit (38—39). Sinoni ab Ulixe [4]) et Menelao ad Troianos misso a proditoribus signo dato responsum est. Deinde has condiciones proditionis constituerunt et iureiurando confirmaverunt, ut Graeci *„noctu exercitum ad portam Scaeam“* adducerent, *„ubi extrinsecus caput equi sculptum“* esset. Ibi Antenorem et Anchisem porta noctu aperta *„eis lumen prolaturos. Id signum eruptionis fore“* (c. 40, cf. Lyc. 340 ss.). Et ita factum est. Antenor et Aeneas Neoptolemum urbe receptum in regiam duxerunt (c. 41). Urbe expugnata Antenor et qui una patriam prodiderant, a Graecis praemia acceperunt (c. 42).

Paucis mutatis haec fabula etiam apud Dictyn legitur: IV 18 Chryses sacerdos tempus excidii Troiae Graecis praedixit et Aeneam Antenoremque in Ilii expugnatione hostes adiuturos esse. IV 22—V 10 proditio describitur. Pacis par-

---

[1]) Sic iudicant Porphyrio (ed. W. Meyer), L. Mueller, Kiesslingius.

[2]) Cf. Ps.-Acronis schol. vet. I 475 (ed. Keller).

[3]) Peter, hist. Rom. rel. p. 177 hoc fragmentum libro primo „historiarum“ tribuit

[4]) Propterea conicio Daretem ignoravisse Antenoris hospitium, quod nusquam memoravit.

tibus, in quibus Aeneas, Antenoris filii, multi alii erant, instantibus Priamus Antenorem ad Graecos misit, qui de bello componendo ageret. Graeci imprimisque Nestor eum summa cum benignitate acceperunt, quod Menelaum a Troianorum insidiis fortiter *„atque auxilio filiorum“* defendisset; *„pro quis Troia eversa multa praeclara polliceri hortarique, uti dignum memoria pro amicis adversum perfidos moliretur“*. Deinde longa oratione ostendit principes Troiae semper poenam vitiorum solvisse. Laomedontem propter periuria adversum Herculem commissa regno privatum esse. Priamum, consobrinum suum, se non ut affini, sed ut inimico usum esse. Antenore postulante Agamemnon, Idomeneus, Ulixes, Diomedes electi sunt, qui cum Antenore *„secreto ab aliis proditionem componerent“*. Praemium proditionis promiserunt Aeneae praedae partem et domum universam servandam, Antenori *„dimidium bonorum regnumque uni filiorum eius, quem elegisset“*. Dein Antenor Talthybio comitante ad suos revertit (IV 22). In cena Antenor filios apud Talthybium admonuit, ut Graecis semper fidem haberent (V 1). Postridie oratione gravi explicavit, quantas calamitates hoc bellum Troianis iam paravisset; propterea futuras saltem evitandas esse. Graecorum erga Priamum benevolentiam ostendit. Helenam non esse dignam, cuius causa Troianis et Graecis inimicitia esset. Omnia esse deperdita atque eversa. Itaque et iustum et utile esse cum Graecis pacem facere (V 2). Iam potestate pacis faciendae accepta (V 3) cum Aenea iterum ad Graecos reversus consilium composuit. Noctu Helena Antenorem oravit, ut pro se Graecos deprecaretur [1]). Subito Ulixes et Diomedes de pace Troiam venerunt, qui cum Antenore de patria prodenda deliberarent. Antenor eis apud ipsum pernoctantibus narravit, quid Palladium valeret, quo in rapiendo se eos adiuturum esse promisit (V 4). Cum Antenor Diomedis condiciones pacis recusavisset, consilium in proximum diem dilatum est (V 5—6). Noctu (V 6) *„Antenor clam in templum Minervae venit, ubi multis precibus vi mixtis Theano, quae ei templo sacerdos erat, persuasit, ut Palladium sibi traderet: habituram namque magna eius rei praemia“*. Quod Antenor cum

[1]) Cf. Serv. Aen. I 647 et Ioann. Sicel. (ed. Heinrich) p. 9 (supra p. 27).

Graecis tradidisset, pretium accepit (V 8). Deinde imprimis id egit, ut pacis condiciones a Graecis propositae acciperentur, ne proditionis odium vel species oreretur (V 10), et auro atque argento comportato pax facta est (V 11). Sed Dictys, quamquam V 9 Helenum praenuntiantem fecerat Antenorem Graecos in fraude equi lignei (cf. Lyc. 340 s., Dares c. 40) adiuturum esse, tamen hoc in urbis expugnatione enarranda oblitus est.

Antenoris legatio ex Dictye hausta a Malala [1]) chron. Ox. 142 (p. 122 Dind.) memoratur: Ulixes in Graecorum ducum consilio de Antenoris legatione et oratione refert. Cedrenum hist. comp. 131 B (p. 230 Bekk.) Malalam exscripsisse ex rerum verborumque concentu apparet. Contra ab Ioanne Siceliota (ed. Heinrich) p. 9 Antenoris et Aeneae proditio ex Dictye petita est (cf. I. Fürst, Philol. N. F. 14, 358), Antenoris autem oratio ex Malala fere verbo tenus translata.

Denique incerti auctoris (falso Aurelio Victori adscripto) libello de origine gentis Romanae Antenoris proditio confirmatur [2]) cap. IX: *„Ilio Achivis prodito ab Antenore . . . ut docet Alexander Ephesius libro I belli Marsici“*, quod, si nomen auctoris et titulum operis excipis, ex Servio (ad Aen. I 647; I 242; II 15) videtur esse haustum (cf. part. II. cap. III).

II. Iam saepius (Dion. Hal. a. R. I 46; Dict. V 8) Antenorem Theanone adiutrice Graecis Palladium perfide tradidisse invenimus. Qua de re fabulae magnopere inter se differunt [3]).

Ut Proclus ex Arctini Iliade parva (Kinkel ep. gr. fr. I 37) tradidit (cf. Serv. Aen. I 647 p. 27), Helena consilium Palladii rapiendi cum Ulixe cepit, quae, quoad illud Ilii praesidium in urbe remaneret, Troiam expugnatum non iri sciebat. Hoc ab Apollodoro epit. Vat. XXI 10 (= fr. Sabbaitica p. 172,

---

[1]) Cf. F. Noack, Philol. Suppl. 6, 476.

[2]) Stiehlius, Philol. XV 596, 39 falso etiam Tzetzam in Lyc. 658 protulit, qui locus spectat ad auxilium, quod Antenor et Theano Ulixi Diomedique in Palladii raptu tulerunt, non ad equum ligneum ab Antenore apertum.

[3]) Cf. O. Iahn, Philol. I 52 ss. Chavannes, de Pall. raptu diss. Berol. 1891. Woerner, Roscher myth. lex. s. v. Palladion III 1, 1301 ss.; III 2, 3413 ss.

22—24) affirmatur[1]. Contra non Helena, sed Antenor Theanone adiutrice illius consilii auctor erat secundum scholiastam B ad Il. ζ 311 et Dictyn V 8; sed cum fortasse iam pictores vasorum saec. a. Chr. V—IV Theanonem proditioni faventem finxerint, probabile videtur esse hanc fabulae memoriam iam illis temporibus carmine hodie deperdito traditam viguisse.

In imagine amphorae musei Neapolitani (n. 3231 Catal. Heydem.) Rubis repertae[2]) agitur de Palladii raptu: Diomedes imberbis ex templo, quod in media imagine videmus, properat tenens dextra gladium, sinistra Minervae signum. Mulier, quae insignis ornatu regio ante eum stans dextra velum removet et sinistra pateram sustinet, Helena est. Ab altero templi latere Ulixem accurrentem conspicimus; tristi vultu, quod Diomedes Palladio iam potitus sit, oculos avertit. Iuxta eum sacerdos templi Theano celeribus gradibus aufugit tenens dextra aedis clavem, quae quidem in tabula (Ann. 30 t. M) parum accurate reddita est ita, ut eam baculi incurvati similiorem esse censeas. E spatio superiore despiciunt numina: Mercurius, Victoria, Minerva. Artifex huius picturae Theanonem non perfidam, sed fidelem sacerdotem ostendere voluit, quae templum aperire cogitur.

In imagine amphorae olim Campanae, nunc musei Berolinensis (no. 3025 Catal. Furtw.) Cumis repertae[3]) videmus a sinistra virum habentem gladium sinistra, id quod Zahnius mihi quaerenti affirmavit, vittam dextra, quam offert mulieri, quae dextra templi clavem, e qua vittae in nodos desinentes pendent (cf. amphoram p. 13), laeva Palladium

---

[1]) Quomodo hi duo loci inter se differant, Wagner, cur. V 19, 3 accuratissime disseruit; cf. H. Luckenbach, Philol. Suppl. XI 624.

[2]) Cf. Braun, Arch. Intell.-bl. 1837, p. 42 ss.; O. Iahn, l. c. p. 56; Overbeck, Her. Gall. 585, n. 34; Iahn, Ann. 30, 228 ss., t. 17; Luckenbach l. c. 626—28; Heydemann, Catal. d. Mus. Neap. n. 3221; Chavannes l. c. 5.

[3]) Viris doctis a Furtwaenglero l. c. memoratis, qui de hac imagine scripserunt, addo: Welcker, Allg. Schulztg. 1831 II 667 et n. 10, Klausen, Aeneas u. d. Penaten I 155; Luckenbach l. l. p. 627; Chavannes l. l. p. 8 sq.; Woerner l. l. p. 1329 s.

clipeo, casside, hasta significatum tenet. In media imagine sedet in gradibus templi, quod columna indicat, mulier maerens, quae caput ad urnam deflectit. Nisi fallor, agitur de hac re: Ulixes [1]), qui contra morem (cf. tamen Mon. Inst. II 36) imberbis est, Theanoni vitta persuadere conatur, ut sibi Palladium tradat; in gradibus sedet Crino, Theanonis filia, ministra templi (Paus. X 27, 4 cf. p. 25), quae proditionem a se alienam esse vult maeretque. Ne de monumento sepulcrali cogitem, ut Furtwaengler, Catal. p. 842, prohibet columna, quae templum ostendit [2]).

Aliud testimonium Theanonis in Palladio rapiendo auxilii ex artis monumentis non nanciscimur. Restant litterarum testimonia.

Ut schol. B Il. ζ 311 narrat, Theano Graecis Palladium prodidit, id quod verbo tenus ex scholio hauserunt Ioannes Siceliota (ed. Heinrich) p. 10 et Suidas s. v. *Παλλάδιον*. Contra secundum Dictyn V 8 (cf. p. 28 ss.) Antenor a Theanone sacerdote, quam eius uxorem esse auctor non dicit, Palladium vi ac verbis impetratum Graecis prodidit. Id quod scholiasta memorat, paucis mutatis legimus apud Malalam chron. Ox. 138 (p. 109 Dind.).

Res a Malala relata verbis fere congruit cum Cedreno hist. comp. p. 229, 18 (Bekk.) et auctore anonymo *ἐκλ. ἱστορ.* (Cramer Anecd. Par. II) p. 204, 32, qui ex illo hauserunt. Huius denique fabulae vestigia apud Tzetzam posth. 511 ss. et ad Lyc. 658 invenimus.

Res apud hos omnes auctores eadem fere est; sed haec discrepantia invenitur, quod apud Dictyn Antenor Theanonem coegit, ut sibi Palladium traderet, quod ipse Diomedi et Ulixi proderet, apud reliquos auctores illi ambo in Palladio rapiendo ab Antenore et Theanone adiuti sunt.

---

[1]) Quominus eum pro Antenore habendum opineris, et pileus et recentior huius narrationis (Dict. V 6) origo obstant.

[2]) Furtwaengler p. 842 scripsit: „Szene am Grabe: unerklärt“. Chavannes l. c. cum Hirtio (Ann. II 95—105) et Iahnio (Ann. XXX 228 ss.) imaginem ad Palladii raptum refert iuvenem illum Diomedem nominans. Sed nescit, cur femina in tumulo sedeat. Woerner l. c. rem in medio relinquit. Meam interpretationem debeo R. Foerstero.

C. VIII. De Antenore et Antenoridis in Troiae excidio servatis.

Apud Pausaniam X 27, 3 s. in descriptione imaginis a Polygnoto secundum Leschis „Iliadem parvam" pictae hoc legimus: *ἔστι δὲ οἰκία τε ἡ Ἀντήνορος καὶ παρδάλεως κρεμάμενον δέρμα ὑπὲρ τῆς ἐσόδου σύνθημα εἶναι τοῖς Ἕλλησιν ἀπέχεσθαι σφᾶς οἴκου τοῦ Ἀντήνορος. γέγραπται δὲ Θεανώ τε καὶ οἱ παῖδες, Γλαῦκος μὲν καθήμενος ἐπὶ θώρακι γυάλοις συνηρμοσμένῳ, Εὐρύμαχος δὲ ἐπὶ πέτρᾳ. παρὰ δὲ αὐτὸν ἕστηκεν Ἀντήνωρ καὶ ἐφεξῆς θυγάτηρ Ἀντήνορος Κρινώ. παιδίον δὲ ἡ Κρινὼ φέρει νήπιον, τῶν προσώπων δὲ ἅπασιν οἷον ἐπὶ συμφορᾷ σχῆμά ἐστι. κιβωτὸν δὲ ἐπὶ ὄνον καὶ ἄλλα τῶν σκευῶν εἰσιν ἀνατιθέντες οἰκέται· κάθηται δὲ καὶ ἐπὶ (τοῦ) ὄνου παιδίον μικρόν.* Videmus in hac Polygnoti imaginis[1]) parte pantherae exuvias Antenoris aedibus affixas et Antenorem Theanonemque salvos ante eas stantes. Antenoridarum integri sunt Glaucus, quem in thorace, et Eurymachus, quem in saxo sedentem Polygnotus pinxerat (de quibus servatis paulo post p. 34 s. agam). Antenor iuxta hunc stat et prope patrem Crino filia, quae infantem bracchio portat (cf. p. 25). Artifex asinum arcam ligneam tergo portantem addidit, cui vernae alia utensilia imponunt. In eodem asino sedet infans quidam. Haec omnia ostendunt Antenorem una cum suorum eis, qui e caede nocturna evaserant, patriam deletam relinquere et ad novas sedes quaerendas proficisci. Polygnotus haec ex Lesche petivit (Paus. X 27, 3). Eadem fabula a Sophocle tractata erat in „Antenoridis", cuius dramatis argumentum recte, ut videtur, e Strabonis loco enucleamus: XIII p. 608: *Σοφοκλῆς γοῦν ἐν τῇ ἁλώσει τοῦ Ἰλίου παρδαλέαν φησὶ πρὸ τῆς θύρας τοῦ Ἀντήνορος προτεθῆναι σύμβολον τοῦ ἀπόρθητον ἐαθῆναι τὴν οἰκίαν* (ad quod respicit schol. Aristoph. av. 933). Argumentum erat hoc: Antenor eiusque familia signo pellis pantherinae ante portam suspenso a Graecis servati, postquam cum Henetis se coniunxerunt, in Thraciam profecti sunt[2]).

[1]) Omnes viros doctos qui de Polygnoti imagine scripserunt enumeravit Bourguetus in Daremberg, Saglio, Pottier, Dictionnaire des Antiquités III 1107 s. v. Lesché.

[2]) Christ-Schmid, Gr. Lit. 1908 [5] p. 325: „*Ἀντηνορίδαι* (Abzug der Söhne des Antenor nach der venetischen Hadria)"; sed Strabo diserte dicit:

Pellis pantherae ut signum ab Antenore cum Graecis compositum etiam a scholiasta Pind. Pyth. V 110 (παρδαλέαν . . . παρηώρησαν) nominatur, ex quo hauserunt Eustathius in Il. p. 405, 28 (παρδαλέην ἐξάψας, ὅ ἐστιν ἀπαιωρήσας) et Tzetzes posth. 741 ss. (742 s.: ἐκείνου (sc. Ἀντήνορος) παρδαλέην προθύροις ἀρίγνωτον σῆμα βαλόντος).

Sed ut Servius in Aen. II 15 ex ignoto fonte tradidit, Antenoris aedificium non pelle pantherina, sed equo picto significatum erat.

Antenor cum Theanone uxore filiisque a Menelao et Ulixe servatus est, id quod praeter Leschem, Polygnotum — Sophocles Theanonem non memoravit — Servius in Aen. I 242 testatur. Eadem salutis causa quae a Servio, Antenoris hospitium, a Triphiodoro ἅλ. Ἰλ. 656—59 nominatur.

Antenor solus eiusque opes a Graecis servati sunt, ut Quintus Smyrnaeus XIII 291—99 dicit; idem legimus apud Tzetzam prol. alleg. 410 s., e quo praeterea, ut e Dictye IV 22 (cf. p. 28 s.) et Darete c. 42, comperimus Antenorem multa praemia a Graecis accepisse. Aeneas una cum Antenore servatur apud Livium I 1 et Dictyn V 12 et Ioannem Siceliotam (ed. Heinrich) p. 10: Ἀντήνορος καὶ Αἰνείου μόνων διασωθέντων.

Theano patriae deletae superstes indicatur a Lesche, Polygnoto, Servio, Triphiodoro l. c. Antenoridarum exitium Troiae effugerunt hi: Glaucus et Eurymachus (Paus. X 27, 3—4 ex Leschis „Iliade parva"; Polygnot.; Tzetz. ad Lyc. 874); Acamas et Hippolochus et Glaucus (Lysimach. in „Nostis" I e Tzetz. ad Lyc. 874; schol. Pind. Pyth. V 108); Helicaon et Polydamas (Serv. ad Aen. I 242). Cum de Eurymacho et Polydamante iam p. 33 egerim, de Acamante et Hippolocho in cap. IX plura addam, restat ut de Helicaonis et Glauci fortuna pauca verba faciam.

Ut Lesches in „Iliade parva" (Paus. X 26, 3) tradidit, Helicaon in caede nocturna vulneratus ab Ulixe recognoscitur et vivus e tumultu servatur, quia pater eius in Graecorum legatos olim benevolum se gesserat.

τὸν (= Ἀντήνορα) δὲ ἅμα παισί; cf. etiam R. Foerster, Verh. Goerl. Philol. Vers. 1889, 435 ss. et Arch. Jb. 1906, 20 ss.

Ferrum, quod Helicaon olim gesserat, postea Apollini Delphico dedicatum est, ut ab Athenaeo VI p. 232 c traditur.

Similis eius quae de Helicaone, exstat fabula de Glauco servato, quam Apollodorus ex „Iliuperside“ excerpsit epit. Vat. XXI 19: Ulixes et Menelaus Glaucum Antenoridam, qui armatus domum fugerat, recognitum servant[1]).

Cum hac re congruit res relata a scholiasta Pind. Pyth. V 109: *οἱ Ἀντήνορος παῖδες ζωγρηθέντες τρεῖς ὄντες ἦλθον εἰς Λιβύην καὶ ᾤκησαν· εἰσὶ δὲ Γλαῦκος, Ἀκάμας, Ἱππόλοχος* et V 110: Lysimachum in ‚Nostorum‘ libro I. dixisse hos tres Antenoridas in fuga apud Amnacem, regem Libyorum, consedisse; alius testis Tzetzes ad Lyc. 874 est, qui Lycophroni crimini dat, quod in Menelai comitibus Glaucum et Eurymanthyn id est Eurymachum[2]) non enumeraverit.

Consentio cum Wagnero l. c. p. 238 dicente quod ab Apollodoro de Glauco memoratum sit, ex Arctini „Iliuperside“ fluxisse; Glaucus servatus etiam a Lesche in „Iliade parva“ traditur. Contra a Vergilio Aen. VI 481 ss. (cf. p. 24) Glaucus iam antea interfectus esse memoratur; nam Aeneas in inferorum numero Glaucum, Medonta, Thersilochum Antenoridas conspicit. Qua cum memoria congruit, quod apud Dictyn IV 7 et V 2 legimus: IV 7: „*Glaucus Antenoris adversum Diomeden adstans Agamemnonis telo cadit*“, cuius ad mortem Antenor ipse V 2 alludit.

Acute Wagner (l. c. p. 238) videtur mihi coniecisse Vergilium et Dictyn secutos esse Leschem, qui pro Glauco secundum „Iliadis parvae“ memoriam iam mortuo Helicaonem posuerit.

Laodicae[3]) denique, Helicaonis uxoris, fortuna ab aliis aliter tradita est.

Ut Wagner l. c. p. 247 coniecit, ea narrationis forma, quae Laodicam in captivis ponit, nisa est memoria „satis antiqua“. Polygnotus (Paus. X 26, 7: *τοῦ βωμοῦ δὲ ἐπέκεινα Λαοδίκην*

[1]) Wagner, cur. myth. p. 237 recte coniecit filium propter patris hospitium a Graecis servatum esse.

[2]) Sed cave scribas *Εὐρυμάχου* secutus Paus. X 27, 3. Nam quamquam Eurymanthys Antenorida nusquam commemoratur, tamen tales falsas nominum formas apud Tzetzam creberrimas esse constat. Cf. Harder, De Tzetzae fide et auctoritate, Kil. diss. 1886 p. 9 ss.

[3]) Cf. Gasse, De Lycophrone mythographo Lips. diss. 1910 p. 12, 32, 56.

ἔγραψεν ἑστῶσαν· ταύτην οὔτε ὑπὸ ποιητοῦ κατειλεγμένην ἐν ταῖς αἰχμαλώτοις ταῖς Τρῳάσιν εὕρισκον οὔτε ἄλλως ἐφαίνετο ἔχειν μοι τὸ εἰκὸς ἢ ἀφεθῆναι τὴν Λαοδίκην ὑπὸ Ἑλλήνων) eam ut captivam ad aram stantem pinxerat; sed Leschem, Polygnoti fontem, eam non in captivis numeravisse inde elucet, quod Pausanias l. c. pictorem propterea vituperat.

Welcker (ep. Cycl. II 246) putat hanc Laodicam non esse uxorem Helicaonis, sed aliam Troianam. Laodica etiam altera imagine in stoa *ποικίλη* quae dicitur a Polygnoto picta erat, ut Plutarchus Cim. 4, 7 (cf. Wagner l. c. p. 247) tradidit. Quibus cum picturis si comparamus quod ex Apollodoro epit. Vat. XXI 23 de Laodica comperimus (= Apoll. bibl. fr. Sabbaitica Rhein. Mus. 46, 173, 29 s.) *Λαοδίκην μὲν γὰρ κάλλει τῶν Πριάμου θυγατέρων διαφέρουσαν βλεπόντων πάντων γῇ χάσματι ἀπέκρυψε*, apparet hunc fere rerum conexum fuisse: Graecorum duces inter se dissentiunt, cuinam pulcherrima captiva tribuatur. Iam certaminis discrimen appropinquat, cum subito ante omnium oculos miraculum fit: Laodica terrae hiatu absumitur. Itaque Polygnotus recte captivam ad aram stantem fecerat significans eam precibus auxilium deorum implorare, ut servitutis ignominiam averterent[1]). Wagner p. 248 Arctini „Iliupersidem" Polygnoti et Apollodori fuisse fontem existimat; nam Leschem eum non fuisse confirmat illud Pausaniae (X 26, 7) *οὔτε ὑπὸ ποιητοῦ κατειλεγμένην*, quod ad Leschem pertinet.

Talis Laodicae sors memoratur et a Quinto XIII 544—49: Laodica deos orans, ne in servitutem veniret, terrae hiatu hausta est, et a Nicolao sophista narr. II 1 (Walz rhet. Gr. I p. 269 = Westermann myth. gr. append. narr. XLIV *περὶ Λαοδίκης* p. 269): Laodica cum iam in eo esset, ut Graecorum duci alicui serva tribueretur, subito terra abscondita est.

Vestigia huius de Laodica fabulae inveniuntur in Lycophronis versibus 314—22, quos paraphrasis a Scheerio edita pluribus exornat: Cassandra Laodicam sororem summo caedis et incendii timore perterritam terrae hiatu absumptum iri prae-

[1]) Sic iudicat Wagner p. 247, qui falso Helicaonis uxorem „virginem" nominavit. Illi alii, qui Antenoris nurum liberare volebant, fortasse secundum Paus. X 26, 7 Ulixes et Menelaus intellegendi sunt.

nuntiat. Quamquam his versibus Laodicae talis fortuna indicatur, tamen v. 449 ss. (cf. p. 21) traditur post patriam deletam cum Acamante, patre Muniti, in Thraciam profecta dolore mortis filii perculsa ipsa mortua esse, qua de causa Tzetzes schol. ad 314 et 497 Lycophronem vituperat.

Hae duae Laodicae fortunae memoriae etiam a Triphiodoro *ἁλ. Ἰλ.* 660—63 et Tzetza posth. 753, qui ex illo hausit, tanguntur. Sed a scholiasta ad. Lyc. 314 fabula Laodicae captivae paulum mutata est: Laodica Graecos insequentes fugiens in terrae voraginem incidit.

Exstant ergo tres Laodicae sortis fabulae: 1. Laodica cum Acamante, patre Muniti, in Thraciam venit ibique mortua est: Euphor. fr. 55 Meineke (= 68 Scheidw., cf. p. 21); Lycophr. 498 ss.; Hegesipp. apud Parthen. XVI; Triphiod. 662. 2. Laodica a Graecis libertate donata est: Paus. X 26, 7. 3. Laodica viva, ne in servitutem veniret, terra abscondita est: Lycophr. 314 s. et 497 s. cum schol. Tzetz.; Apollod. epit. XXI 23; Quint. Smyr. XIII 544 s.; Triphiod. 660 s.; Nicol. progym. 2, 1 (p. 269 Westerm.); Tzetz. posth. 736; similiter: schol. ad Lyc. 314 et 319.

C. IX. De Antenoris eiusque familiae post Troiam deletam fatis.

Nomen „*Ἀντηνορίδαι*“ posse significare „Antenorem et filios eius“ elucet e collatis locis Strabonis XIII p. 608: *Σοφοκλῆς γοῦν ἐν τῇ ἁλώσει τοῦ Ἰλίου παρδαλέαν φησὶ πρὸ τῆς θύρας τοῦ Ἀντήνορος προτεθῆναι σύμβολον τοῦ ἀπόρθητον ἐαθῆναι τὴν οἰκίαν. τὸν δὲ ἅμα παισὶ — στόλου* et schol. Pind. Pyth. V 108: *οἱ Ἀντηνορίδαι φιλοφρονητικώτερον διέκειντο πρὸς τοὺς Ἕλληνας· φησὶ γάρ που καὶ αὐτὸς ὁ Ἀντήνωρ κτλ.* [1]) Sed ad res ipsas accedamus. Iam in illa Polygnoti imagine (cf. p. 33 s.) Antenor una cum uxore filiisque Glauco et Eurymacho patriam deletam relicturus est. Quo se converterit, elucet ex Strabone XIII p. 608: *τὸν* (sc. Antenorem) *δὲ ἅμα παισὶ μετὰ τῶν περιγενομένων Ἐνετῶν εἰς Θρᾴκην περισωθῆναι κἀκεῖθεν διεκπεσεῖν*

[1]) Welcker, gr. Tr. III 1558. R. Foerster, Verh. Goerl. Philol. Vers. 1889, 435 ss. et Arch. Jb. 1906, 20 ss.

εἰς τὴν κατὰ τὸν Ἀδρίαν Ἐνετικήν. Ut Sophocles in „Antenoridis" tradiderat[1]), Antenor cum familia servata, postquam cum Henetis[2]) se coniunxit, in Thraciam et inde Venetiam ad mare Adriaticum sitam pervenit. Ut ab Euripide in „Iphigenia Taurica" Minerva Orestis et Iphigeniae, ita fortasse a Sophocle vates Antenoridarum fata praenuntians inductus erat. Tales Antenoris errores fuisse a Strabone XIII p. 543 s. iteratur.

Praeterea a Strabone de eadem re haec referuntur I 48: Etiam Aeneas Antenoris erroribus interfuit, qui inopia omnium rerum pressus per totum orbem terrarum migravit (de oppidis ab Antenore conditis postea plura addam); III 150: *ἥ τε τοῦ Αἰνείου παραδέδοται πλάνη καὶ Ἀντήνορος καὶ ἡ τῶν Ἐνετῶν;* V 212: *περὶ δὲ τῶν Ἐνετῶν διττός ἐστι λόγος. οἱ μὲν γὰρ αὐτούς φασιν εἶναι Κελτῶν ἀποίκους*[3]) *τῶν ὁμωνύμων παρωκεανιτῶν, οἱ δ' ἐκ τοῦ Τρωικοῦ πολέμου μετ' Ἀντήνορος σωθῆναι δεῦρό φασι τῶν ἐκ τῆς Παφλαγονίας Ἐνετῶν τινας;* XII 552: *Μαίανδρος . . . φησὶ τοὺς Ἐνετοὺς ὁρμηθέντας συμμαχῆσαι τοῖς Τρωσίν. ἐκεῖθεν δὲ μετὰ τῶν Θρακῶν ἀπᾶραι καὶ οἰκῆσαι περὶ τὸν τοῦ Ἀδρίου μυχόν.* Eadem Antenoris fabula a Livio I 1—2 memoratur: *casibus deinde variis* (Strab. I 48 *πλανηθέντας εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην;* III 150 *ἡ πλάνη . . .*) *Antenorem cum multitudine Enetum, qui seditione ex Paphlagonia pulsi et sedes et ducem rege Pylaemene ad Troiam amisso quaerebant* (Il. β 851—55; ε 576—89; Strab. XII 543—544), *venisse in intumum maris Adriatici sinum* (Strab. XII 544 *ἱδρυθῆναι κατὰ τὸν μυχὸν τοῦ Ἀδρίου,* 552 *οἰκῆσαι περὶ τὸν τοῦ Ἀδρίου μυχόν*).

Ut Livius addit, Troiani Euganeis[4]) e sedibus inter mare Adriaticum et Alpes expulsis consederunt, ad quem locum primum naves appulerant, „*Troiam*" nominaverunt, omnem illam regionem „*pagum Troianum*"; universa gens secundum Aeneae Antenorisque comites Veneti appellati sunt. Primus Antenoris,

---

[1]) Cf. Stiehle, Philol. XV 598.

[2]) De Venetis egerunt Stiehlius, Philol. XV 598 s.; Nissenus, Ital. Landeskunde I 489 s.; Pauli, Die Veneter und ihre Sprachdenkm. (1891) (Altital. Forschungen III 413 ss.).

[3]) Strabo IV 194 Enetorum originem ex Belgis mari affinibus ducendam esse dicit.

[4]) Cf. Pauli, Altital. Forschungen. III 414, 415, 417.

Aeneae, Enetum fata cum Italia coniunxisse Cato in „Originibus" mihi videtur. Nam et Plinius n. h. III 19 affirmat: „*Venetos Troiana stirpe ortos auctor est Cato*", et Servius ad Aen. I 5 „*Troiam autem dici quam primum fecit Aeneas et Livius in primo et Cato in originibus testantur*" et Cornelius Nepos in Catonis c. 3 vita dicit: „*secundus et tertius* (sc. historiarum libri continent), *unde quaeque civitas orta sit Italica, ob quam rem omnes ‚Origines' videtur appellasse*". Quocum congruit Dionysius Halicarnaseus ant. Rom. I 11. Quod Livius I 1 incipit illo „*iam primum omnium satis constat Troia capta in ceteros saevitum esse Troianos*", documento est fata Troianorum a Graecis Romanisque scriptoribus valde celebrata esse. Strabonem, qui multum cum Livio congruit, usum esse fonte qui e Catone pendet probabile est. Cuius vestigia etiam apud Vergilium Aen. I 242—49 reperiuntur, quem Servius ad h. l. et I 601 illustrat. A Servio I 242 Velesus rex Enetorum nominatur.

Venetia a Troianis victis condita est, ut etiam Iustinus XX 1, 7—8 affirmat. Ab Eustathio in Dionys. 379 (Bernh. geogr. gr. m. I 116; Mueller II 287), quae de Antenore et Venetis tradita sunt, e Strabone repetita sunt, quem cum in rebus tum in verbis artissime secutus est: cf. Strab. XII 543 et Eust. in Dion. 379: *ἀξιολογώτατον φῦλον, μετὰ τὴν Τροίας ἅλωσιν ἀποβαλόντες . . . τὸν ἡγεμόνα, πλανώμενοι δ' εἰς τὴν νῦν Ἐνετικὴν ἀφίκοντο κατὰ (περὶ) τὸν μυχὸν τοῦ Ἀδρίου;* Strab. V 212 et Eustath. l. c.: *ἐκ τοῦ Τρωικοῦ πολέμου μετ' (μετὰ τοῦ) Ἀντήνορος σωθῆναι, μαρτύριον τούτου . . . τὴν (ἡ)περὶ τὰς ἱπποτροφίας ἐπιμέλειαν (σπουδή).* Secundum Cornelium Nepotem (apud Solinum 44, 1, ex quo petivit Martianus Capella VI 689) Veneti Paphlagonici in Italiam venerunt.

Aliter haec res a Dione Chrysostomo orat. XI § 138 et 142 (p. 189 s. Reiske) traditur: Antenor Enetis, qui in sinu maris Adriatici iam consederant, superatis uberrima circa mare terra potitus est; nil comperimus de Antenoris ceteris erroribus. Ioannes de Arnim (p. 150 ad lineam 19) videtur mihi recte suspicatus esse post *Εὐρώπης* mentionem Antenoris in Italiam profecti excidisse, cum etiam § 138 bis Aeneas cum Antenore compositus sit.

Euganei ii fuerunt, qui in Antenoris Henetorumque adventu in illa regione sedebant atque expulsi sunt, ut Livius I 1 et Servius ad Aen. I 242 et Silius Italicus VIII 602 s. et XII 212 ss. referunt. Euganei ante Antenoris adventum in illis finibus fuisse dicuntur etiam a Plinio n. h. III 20, Martiale IV 25, 3 s. et X 93, Apollinare Sidonio epist. I 5, 4 et c. II 189 et IX 194 ss. Quod Euganeorum fines a Martiale X 93, 1 *Helicaonis orae* et XIV 152 *Helicaonia regio* dicuntur, id congruit cum re a Servio in Aen. I 242: *„qui cum uxore Theano et filiis Helicaone et Polydamante ceterisque sociis in Illyricum pervenit“* tradita. *Timavus* qui agrum Patavinum perfluit *Antenoreus* appellatur a Lucano Pharsal. VII 194. Antenor Patavium condidit, ut praeter Verg. Aen. I 247; Serv. in Aen. I 242; Martial. I 76; IV 25, 3—4; Lucan. Pharsal. VII 194 etiam hi auctores affirmant: Seneca dial. XII 7, 6: *„enumerare Antenorem Patavii conditorem“;* Pomponius Mela chorograph. II 60: *„Patavium Antenoris“;* Solinus II 10: *„Notum est . . . Patavium ab Antenore“*. Claudianus c. m. XXVI 1 (rec. Th. Birt monum. Germ. hist. V 307): *„Aponus Fons Antenoreae vitam qui porrigis urbi“*. Haec res a Solino non e Plinio, quem imprimis sequitur [1]), petita est, cum hic eam omiserit, sed fortasse e Mela vel e Vergilio. Patavii nominis etymologiae, quae nihil valent, a Servio in Aen. I 242 (*„ex avis petitae auspicio Patavium nominatum“*) et I 247 collectae sunt. Timavus a Lucano Phars. VII 194 *Antenoreum flumen*, a Claudiano paneg. de III cons. Hon. VII 120 *Phrygium* nominatur.

Ut Tacitus ann. XVI 21 dicit, P. Paetus Thrasea Patavio ortus ludis ab Antenore institutis cecinit: *„Thrasea Patavi, unde ortus erat, ludis cetastis a Troiano Antenore institutis habitu tragico cecinisse“*. Codex praebet *‚cetastis‘*; coniecerunt Seyffertus *‚vetustis‘*, Doederlinus *‚caestatis‘* (Faustkämpfer), Nipperdeius *‚cetariis‘* (Fischerspiele), Stiehlius (Phil. XV 600) intellexit „cestische Spiele (ludi Cestici)“. Codicis lectionem *‚ludis Cetastis‘* retinere malo, cum meliorem invenire non possim. Nomen

[1]) Cf. Fr. Rabenald, quaestionum Solinianarum capita III, diss. Hal. 1909 p. 4 ss.

‚cetastis' a verbo ‚cetae', cuius sensus intellegi non posset, derivatum esse ostendit W. Schulze, Z. Gesch. d. lat. Eigenn. p. 47 (cf. Thes. ling. lat. s. v. Cetasti). Ut Romae ludis Romanis, Megalensibus, aliis, ita Patavii his ludis poetae fabularum inter se certaverunt; Neronis quidem temporibus ita fuisse Tacitus l. c. affirmat.

In Venetiam, cum Antenor ibi iam consedisset, Diomedes[1]) multis longisque erroribus defatigatus deiectus est, quod ex Strabone V 214 s. Eustathius in Dion. 379 hausit. Ex Plinio n. h. III 151, X 127, XII 6 elucet Diomedem, quem iam in Palladii raptu Antenor iuverat, a Venetis post mortem quasi heroem cultum esse; ad Timavi os ei templum in nemore aedificatum est, in quo ei albi equi offerebantur. Ex Vergilii (Aen. I 249) „*placida compostus pace quiescit*" medio aevo fama orta est Antenoris sepulcrum Patavii detectum esse (Heyne exc. ad Aen. I VII*), in quo etiam epigramma inscriptum esset, quod habent Burmannus anthol. lat. I 111 et Meyer a. l. 694, non vero Riesius ut non antiquum.

Quem ad locum primum naves appulerant, eum Antenor eiusque comites „Troiam" nominaverunt, ut et Livius I 1 et Stephanus Byz. s. v. *Τροία· ἔστι καὶ Τροία πρὸς τῷ Ἀδρίᾳ τῆς Βενετίας* tradunt.

Cum Antenore Ocella quidam in Italiam venit et inde in Iberiam profectus ibi Ocellam urbem condidit[2]) secundum Strabonem III 4, 3: *ἐνταῦθα δὲ καὶ Ὠψικέλλαν πόλιν Ὀκέλα κτίσμα λέγουσι τοῦ μετὰ Ἀντήνορος καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ διαβάντος εἰς τὴν Ἰταλίαν. Ὠψικέλλαν* praebent codd. et Aldina ed.; *Ὠκέλλαν* mutare voluit Siebenkeesius; Kramer: „et laudantur in Lusitania Ocelenses a Plinio IV 118 (22) (‚*stipendiariorum . . . Ocelenses*'), *Ὄκελον* a Ptolemaeo II 5, 7 (*ἀνατολικώτατοι δὲ Οὐέττονες, ἐν οἷς πόλεις . . . Ὄκελον*)". Ptolemaeus Ocelum urbem Vettonum, gentis Hispaniae Lusitaniae, nominavit. Meinekius (ed. 1852) scripsit: *καὶ Ὠκέλλαν πόλιν Ὠκέλλα κτίσμα.* Ad *Ὀκέλα* (ed. Kramer) cod. A (= Paris. 1397), C (= Par. 1393), I (= Mar-

---

[1]) Cf. E. Lübbert, de Diomede heroe, ind. schol. Bonn 1889/90; Bucherer, D. Diomedessage Heidelb. 1892, p. 73.

[2]) Cf. Stiehle, Philol. XV 600 (vide p. 42).

cianus 377) *ὃ καὶ λάκτισμα* adnotant; *ἴσως ὠκέλλα κτίσμα* in margine cod. o (= Par. 1394) legimus; *Ὠκέλλα* Coraes correxit [1]). Cum Siebenkeesio, Meinekio, Corae lego *Ὠκέλλαν πόλιν Ὠκέλλα κτίσμα;* ergo non Antenor [2]), sed Ocellas eius comes hoc oppidum condidit [3]). Antenor vero haec oppida [4]) una cum filiis (Helicaone et Polydamante) et Henetis condidit:

1. Patavium Italiae
2. Troiam Italiae (cum Aenea).

Memoria multum divergens [5]) de Antenoris eiusque filiorum post Troiam deletam fatis a Pindaro Pyth. V 82 ss. (ed. Schroeder) nobis traditur: *ἔχοντι τὰν* (sc. *Κυράναν*) *χαλκοχάρμαι ξένοι· | Τρῶες Ἀντανορίδαι· | σὺν Ἑλένᾳ γὰρ μόλον, | καπνωθεῖσαν πάτραν ἐπεὶ ἴδον | ἐν Ἄρει· τὸ δ' ἐλάσιππον ἔθνος ἐνδυκέως | δέκονται θυσίαισιν ἄν- | δρες οἰχέοντές σφε δωροφόροι, | τοὺς Ἀριστοτέλης ἄγαγε ναυσὶ θοαῖς | ἁλὸς βαθεῖαν κέλευθον ἀνοίγων. | κτίσεν δ' ἄλσεα μείζονα θεῶν | εὐθύτομόν τε κατέθηκεν Ἀπολλωνίαις | ἀλεξιμβρότοις πεδιάδα πομπαῖς | ἔμμεν ἱππόκροτον | σκυρωτὰν ὁδόν, ἔνθα πρυ- | μνοῖς ἀγορᾶς ἔπι δίχα κεῖται θανών.* Poeta cum hoc carmine Arcesilaum regem ob victoriam partam summis laudibus efferat, etiam veteres Cyrenarum, illius capitis, heroes Antenoridas Dardanos commemorat, qui post Troiae excidium in Libyam venerant. Antenor eiusque filii (cf. p. 33 de voce *Ἀντηνορίδαι*) cum Menelao et Helena Troiam reliquerunt et a Batto (Aristotele) rege Cyrenarum hospitaliter recepti ibi consederunt. Secundum Pindarum haec fama apud Cyrenenses divulgata erat: Antenoridae cum Menelao et Helena in patriam revertentibus Ilio exusto profugi discesserunt. Menelaus illos Antenoridas propter patris erga se benevolentiam in Troiae

---

[1]) Permultas nominis formas collegit Io. de Heyden-Zielewicyus, Bresl. philol. Abh. 1902, 69, 1; cf. etiam Mommsen, Unterit. Dial. 251.

[2]) Ita iudicavit Gruppius, Gr. Myth. I, 363.

[3]) Stiehlius, Philol. XV 600 falso scripsit Ocelum esse conditum ab Ocelo, Antenoris comite, et situm prope Patavium.

[4]) Iacobius, Mythol. Handwb. s. v. Ant. falso ex Serv. Aen. I 5 conclusit Antenorem in Gallia Cisalpina urbem condidisse; nam illud Servianum spectat ad Aeneam.

[5]) Cf. Studniczka, Kyrene p. 129—31; E. Maass, Gött. gel. Anz. 1890, p. 366 ss.; A. Gercke, Herm. 41, 447 ss.

excidio esse tutatus videtur. Si enim ita intellegimus, illud Pindari σὺν Ἑλένᾳ γὰρ μόλον bonum sensum praebet. Cum multis longisque erroribus fatigati ad Libyam appulissent, in litore collem obsederunt. Pindari temporibus a Cyrenensibus ut heroes indigenae sacrificiis ac precibus colebantur. Antenoridarum errores a Lysimacho in „Nostorum" libro primo memorati erant, ut ex scholio Pind. Pyth. V 108 eisdem fere verbis exscripsit Tzetzes ad Lycophr. 874. Apud Lysimachum causa egressionis haec est: Antenoridae, quod cum patriae hostibus versari recusaverant, ad Libyae regem demigraverunt. Deinde in colle intra Cyrenas et mare sito sedem condiderunt, cui vel ipsi vel qui post eos ibi fuerunt nomen „collem Antenoridarum" dederunt. Res paululum mutatur a scholiasta Pind. Pyth. V 109: Antenoridas, quos Glaucum, Acamantem, Hippolochum nominat, Menelaum secutos tempestate gravi de cursu deiectos esse [1]. Cum Agias Troezenensis in „Nostis", quo carmine Lysimachus usus est, reditus Graecorum ducum narraverit, Stiehlii (Philol. VIII 101) coniectura eum describentem Menelai reditum hanc fabulam per digressionem adiecisse verisimillima est.

Glaucus non cum Acamante et Hippolocho, sed cum Eurymacho fratre Menelaum comitatus est apud Tzetzam ad Lyc. 874 (cf. p. 35). Iam Apollodorus epit. Vatic. XXI 19 ex Arctini „Iliuperside" Glaucum servatum esse attulerat; Glaucus et Eurymachus integri fuerunt secundum Paus. X 27, 3—4; Polygnotus ex Leschis „Iliade parva" hanc rem petivit, cuius notitiam Tzetzes fortasse ex epitoma quadam hauserat [2]. Glaucus ergo et Eurymachus [3]) cum Menelao navigantes naufragio facto ad Cyrenas [4])

[1]) E. Schmidius in Pindari editione (1616) duas memorias in unam contaminavit.

[2]) Robertus, Die Iliupersis des Polygnot p. 81 Pausaniae Polygnoteae imaginis descriptionem Tzetzae fontem esse censet, quae sententia non probabilis videtur; Quinti Smyrnaei (XI 129 s. etc.) mentionem non fecit, quamquam eum p. 17 ipse memoravit.

[3]) Stiehlius, Philol. XV 596 etiam Helicaonem huic itineri interfuisse falso scripsit.

[4]) In Tzetzae textu (ad Lyc. 874) Ed. Scheer pro Κρήτην et ἐν Κρήτῃ codicum alterius classis recte mihi videtur posuisse περὶ τὴν Κυρήνην et ἐν Κυρήνῃ. Nam cum Tzetzes statim Lysimachi fragmentum apposuerit, elucet eum cum illo congruere et in hac re et in Antenoridarum colle et in eo,

appulerunt ibique in colle habitaverunt, cum Menelaus eis persuadere non posset, ut longius cum ipso navigarent. Tertia de Antenoris fato fabula traditur a Dictye V 17[1]): Cum Graeci abissent, Aeneas Antenorem urbe et regno Troiano expellere instituit; quo nuntio allato Antenor[2]) Aeneam aditu urbis prohibuit, qui cum multis sociis patriam reliquit et post multos errores in Corcyra Melaena urbe ad mare Adriaticum sita novas sedes condidit. Antenor autem Troiae omnium consensu regnum obtinuit *„fitque princeps amicitiae eius rex Cebrenorum Oenideus“*. Eandem rem ex Graeco Dictye hausit *ἐκλογὴ ἱστοριῶν* (Cramer Anecd. Par. II) p. 221, 24: Graeci domum reverterunt *καταστήσαντες Ἀντήνορα* (pro codicis *Ἀγήνορα* cum Noackio Philol. Suppl. 6, 412 lego, quae coniectura eo fulcitur, quod nomina *Ἀντήνωρ* et *Ἀγήνωρ* facile commutantur; cf. p. 17) *ἄρχειν Φρυγίας· Αἰνείας δὲ . . . φοβηθεὶς τὸν Ἀντήνορα* (pro *Ἀγήνορα*) *φεύγει . . . ὡς ἐπὶ τὸν Ἀδρίαν.* Ergo Antenor apud Dictyem non ut apud Livium I 1 et Strabonem l. c. una cum Aenea patriam deletam relinquit, sed Troiae remanens Aeneam regno expellit, quamquam IV 18 et V 12 ab Aenea in patria prodenda semper adiutus est.

Non Aeneam, sed Astyanactem Antenor regno expulit, ut Abas[3]) in „Troicis“ memoriae tradidit secundum Servium in Aen. IX 262 et 264; sed Aeneas Antenore superato Astyanactem regem restituit. Etiam apud Daretem c. 44 Antenor Troiae regnum renovavit: „*is* (sc. Dares) *ibidem cum Antenoris fractione remansit . . . Antenorem secuti sunt duo milia quingenti*“.

Haec igitur oppida vel civitates ab Antenoridis condita sunt: 1. Patavium Italiae; 2. Troia Italiae; 3. Antenoridarum collis Libyae; 4. Antenor Troiae regnum restituit.

---

quod Antenoridae longius navigare recusaverunt. Praeterea Glaucus, quem et Lysimachus et Tzetzes appellant, vix bis Antenoridarum collem, in Libya et in Creta, condidit.

[1]) Iacobius, Handwörterb. s. v. Ant. hunc Dictyos locum cum Darete c. 44 confudit.

[2]) Falso Stiehlius, Oertelius, Wagner ll. ll. (cf. p. 1) scripserunt Antenorem ab Aenea expulsum Corcyram Melaenam condidisse.

[3]) Cf. Mueller, fr. hist. graec. IV 277, 2; Fuerstius, Philol. N. F. 14, 359 Abantem ante Vergilium et Livium fuisse dicit.

Pars II.

Quas Antenoridarum memorias et quomodo cum auctores tum artifices in operibus componendis adhibuerint quaeritur.

C. I. De poetis.

(De Antehomericis, Homero, poetis cyclicis, Pindaro, Bacchylide, Sophocle, Accio, Lycophrone, Largo, Macro, Quinto Smyrnaeo, Dracontio.)

a.) De Antehomericis. — Antenoris erga Ulixem et Menelaum hospitalem animum (Il. γ 203 ss., p. 3 ss.) in carmine quodam epico copiosius tractatum esse valde probabile est, cum Homerus ad id obiter alludat. Praeterea id quod Ilias tribus locis medio in aliarum rerum conexu Antenoridas amplissimis versibus exornavit, λ 218 ss. Iphidamantem (p. 21 s.), ξ 462 ss. Archelochum (p. 19), φ 544 ss. Agenorem (p. 17), ostendere videtur auctorem illorum Iliadis versuum vel carmen prius de Antenoridis compositum in talibus Antenoridarum laudibus usurpasse vel secutum vestigia carminis eiusmodi quod tum in omnium ore erat hos versus imitatum esse. Denique hanc de Antenoridarum carmine sententiam eo affirmari puto, quod epici cycli poetae, Arctinus in „Iliuperside“ Glaucum (p. 23) et Lesches in „Iliade parva“ Glaucum et Eurymachum (p. 23) Antenoridas alios atque in Iliade appellatos memoraverunt, ne reliquos Antenoridas afferam, quos auctores recentiores nominaverunt. Contra Robertus (Stud. z. Il. 382 ss.) censuit tales res proprie ab aliis fortiter gestas ab interpolatoribus postea demum Antenoridis tributas esse. Sed ad hanc sententiam tantum pervenit ductus coniectura in carmine vetustissimo ab eo ficto et „Urilias“ nominato res tam fortiter gestas solum a Troianorum illustrissimis ducibus factas esse.

b.) De Homero. — Homerus, quibuscumque locis Antenoridarum mentionem fecit, id semper ante oculos habuit, ut hoc genus quam maxime illustraret. Antenorem in senioribus esse inde apparet, quod Echeclus eius nepos est (cf. p. 17). Praeterea Antenor, ut Nestor, eminens sapientia eloquentiaque

in iis principibus est, quos Priamus propter ingenium et consilium circa se habere solet (p. 3 et 8). Antenor solus Troianorum probe de Helenae raptu sentiens semper eam reddendam esse censet et Menelaum Ulixemque propterea legatos venientes domo sua recipit (γ 203 ss. cf. p. 3). η 345—53 (p. 9) poeta Antenoris loquelae vim brevibus, sed gravibus verbis ostendit atque eum primum in contione verba facientem induxit. Ut Hecubam, Priami uxorem, ita Theanonem, Antenoris mulierem et Hecubae sororem, poeta inter feminas Troianas excellentem fecit eo, quod a civibus Minervae sacerdos creata est. Ut maritus e nobili genere, ita ipsa filia Cissei regis Thracum ex regia stirpe nata est (λ 221—24, p. 11 s.). Theanonis et Antenoris filios poeta ut fortitudine insignes celebrat. Coon (p. 15) maximus natu et ἀριδείκετος ἀνδρῶν (λ 249) fratrem ab Agamemnone interfectum ulturus fortissime pugnans caeditur (λ 218—47). Praecipue Agenorem (p. 16 s.) ducem summae virtutis laude florentem Homerus induxit (ν 490, ξ 425, ο 340, π 535, φ 545: Ἀγήνωρ δῖος; δ 467, ν 598: μεγάθυμος Ἀγήνωρ; μ 93: ἦρχε . . . Ἀγήνωρ; ν 490 s.: Ἀγήνορα δῖον, . . . ἡγεμόνες Τρώων). Hectori una cum Troianorum principibus auxilium fert (ξ 423 ss.). Elephenorem, Abantum ducem (δ 467—9), et Clonium, principem Boeotorum (ξ 340), sua manu necat. Agenorem, cum in periculum inciderit, Apollo servat, qui in illius formam se permutat, ne Achilles fugientem interficiat (φ 544 ss.). Helenum vulneratum telo e plaga tracto obligat (ν 596—600). Unus Antenoridarum est, cui filium fuisse Homerus tradit (υ 474 ss.): Echeclum (p. 17) filium Achilles necat. Acamantem et Archelochum (p. 19) belli peritissimos duces poeta appellat β 819 ss. et η 98 ss. Acamas in proelio currum ascensurus Merionis telo transfigitur (π 342 ss.). Archelochum Aiax hasta interficit (λ 56 ss.). Demoleon (p. 20) Antenorida cum Achille congressus interficitur (υ 395 ss.). Ut Acamas, Archelochus, Agenor fratres, ita etiam Polybus (p. 20) unus e Troianorum ducibus illustrissimis est (λ 56 ss.). Priami genus cum Antenoridis poeta eo artius coniunxit, quod Helicaonem (p. 20 s.), qui Laodicam, pulcherrimam Priami filiarum, in matrimonium duxit, Priami generum fecit (γ 121 ss.). Achillem cum Agenore, Echeclo,

Demoleonte Homerus confligentem fecit, Agamemnonem cum Coone et Iphidamante (p. 21 s.), qui postquam matris suae sororem uxorem duxit, statim Troiam profectus a Graecorum imperatore caesus est (λ 218 ss.), Aiacem cum Archelocho et Laodamante (p. 22), quem ille occidit (ο 516 s.). Iliadis ergo poeta Antenoridas cum Graecorum excellentissimis ducibus pugnantes induxit. Ut Apollo in Agenoris formam se mutavit, ita Minerva in Laodoci (p. 22) Antenoridae speciem conversa Pandaro persuadet, ut foedus frangat (δ 86 ss.). Denique poeta Pedaeum Antenoris nothum (p. 23) memorat, qui a Mege interficitur (ε 69 ss.).

Perspicuum est Homerum his omnibus locis genus nobile illustrare voluisse, quod in Troianorum praeclarissimis erat. Num Antenoridae re vera fuerint, inde disceptari non potest[1]). Contra Studniczkam, qui (Kyrene p. 129) Antenoridas Graecos esse censet, et Muelderum, qui (D. Ilias u. ihre Quell. p. 247) iudicat Antenorem esse „ein bequemer Vatername, um den Opfern der männermordenden Achaeer ein genealogisches Relief zu geben“, contendo poetam Antenorem induxisse, ut esset is qui Nestori Graeco a Troianorum parte responderet. Ut a Graecorum parte cum Agamemnone summo imperatore Nestorem nobilissimum, qui sapientiae eloquentiaeque laude florebat, et Antilochum eius fortem filium composuit, ita iuxta Priamum regem Troianorum collocavit Antenorem insignissimum disertissimumque (γ 146 ss.) principem familiae nobilis et filios fortissimos, quin etiam nepotem Echeclum celebravit. Quae Homerus carminibus epicis vel de Antenoridis compositis vel eorum res proferentibus (cf. Robert, Stud. z. Il. p. 169) debuit, stabilire iam non possumus. Itaque Ilias, quamquam fabulam Antenoridarum nisi obiter non tetigit neque aliter nisi summatim explicavit, tamen fundamentum nobis praebet, quo innisi exquirere possimus, quantum poetae posteriorum temporum singulas fabulae partes aut variaverint aut „Antenoridarum carmine“ vel prioribus poematis fontibus usi amplificaverint.

---

[1]) Sed cf. Robert l. c. p. 382 ss. Consentio cum Gruppio, D. mythol. Liter. v. 1898—1905 p. 37: „In der Tat enthalten fast alle heroischen Sagen der Griechen einzelne historisch verwertbare Bestandteile; aber diese sind versteckt oder zur Unkenntlichkeit entstellt und daher meist missverständlich“.

c.) Poetae, qui dicuntur cyclici, in rebus Troianis enarrandis etiam Antenoris eiusque familiae memoriam exornaverunt secuti vestigia carminum epicorum aetate priorum, quae Antenoridarum res memoraverant. Sed cum quae eorum carminibus continebantur nisi ex excerptis et Procli chrestomathiae et Apollodori non cognoverimus[1]), perpauca modo vel concludere vel conicere possumus, quali ratione illi poetae res Antenoridarum tractaverint.

Incipio a „Cypriis". P. 3 s. vidimus bello Troiano nondum aut modo exorto Antenorem Menelaum et Ulixem, qui Helenam repetitum Troiam venerant, hospites tecto suo recepisse; Proclus qui affirmat chrest. I (p. 4) hanc legationem fuisse post primum proelium poetam Cypriorum narravisse, de Antenore nihil dicit. Apollodorus qui bibl. XVII 14 (p. 4) legatos ante belli initium venisse tradit hanc rem neque Homero qui legationis tempus in medio reliquit (ποτέ Il. γ 205) neque „Cypriis", sed ignoto fonti debuit. Poeta cyclicus quem Apollodorus l. c. respicit primus testis defensionis est quam Antenor legatis a Paridis et Antimachi insidiis fecit. Nam Homerus Il. λ 123 ss. et 138 ss. non dicit legatos ab Antenore esse servatos.

De Arctini „Iliuperside" certo iudicari non potest. Vidimus p. 34 Triphiodorum (v. 656 ss., cf. Tzetz. posth. 741 ss., prol. all. 409 ss.; Liv. I 1; Serv. ad Aen. I 242) tradidisse Graecos in Troiae expugnatione Antenori eiusque familiae pepercisse. Quantum ex Procli excerptis elucet, Arctini „Iliupersidos" primo libro dolus equi lignei et proditio Sinonis, secundo expugnatio Troiae continebatur. Epitomator Arctini fortasse Antenorem servatum propterea silentio praeteriit, quod poeta „Iliupersidos" eius mentionem in conexu earum rerum fecerat, quas epitomatores excerpentes poemata cyclicorum, ut Troici cycli argumenta collecta continenter enarrarent, non ex „Iliuperside", sed ex „Iliade parva" petebant. Cum Wagnero (cur. myth. p. 238) conieci (p. 35) ex Arctino haustum esse quod Apollodorus epit. Vatic. XXI 19 tradidit: Glaucum ab Ulixe et Menelao in Troiae excidio servatum esse. Item cum Wagnero (l. c. p. 248) verisimile esse puto Laodicam uxorem Helicaonis terrae hiatu

[1]) Bethe, Herm. 26, 593 s.

absumptam Apollodorum (epit. Vat. XXI 23) ex Arctini carmine deduxisse (p. 36).

Denique fragmentum Parisinum II. (Iahn. cf. p. 18) certamen Neoptolemi cum Priamo et Agenore commissum ex Arctini ‚Aethiopide' sumptum esse titulo affirmat; contra Iahnius hanc rem ex Stesichori „Iliuperside" et Paulckius ex „Iliuperside aliqua" haustam esse dicunt.

Melius de „Iliade parva" [1]) docti sumus [2]). Procli excerpta (cf. Kinkel, ep. gr. fr. I 36) Antenoridas non memorant. Sed Pausanias nonnulla ad eos pertinentia fragmenta servavit describens illam Polygnoti imaginem (p. 33; cf. Welcker, l. c. II 537; Düntzer, Frg. d. ep. Poes. d. Gr. p. 17 ss.; Kinkel, l. c. I 44 s.).

Echeclum, Antenoris nepotem et filium Agenoris, ab Achille interfectum esse (Paus. X 27, 1) poeta cum Homero (υ 474 ss.) congruens narravit. Sed Agenorem, postquam Lycomedem, Creontis filium, in manus commissura laesisset (Paus. X 25, 5), a Neoptolemo occisum esse (Paus. X 27, 1), quod Quintus Smyrnaeus XIII 217 retinuit, poeta Iliadis parvae novavit fortasse ex Antenoridarum carmine mutuatus (p. 17 s.). Eandem rem invenimus etiam in Arctini „Aethiopide" (p. 18). Deinde Lesches Helicaonem Antenoridam in caede nocturna propter patris erga legatos benevolentiam ab Ulixe recognitum et servatum esse memoravit (Paus. X 26, 8). Praeterea secundum Pausaniam X 27, 3—4 poeta „Iliadis parvae" haec fere narravit: Graeci Antenori propter vetus hospitium et quia semper auctor Helenae reddendae fuerat, ut in Ilii nocturna expugnatione aedibus eius parcere possent, suaserant, ut pellem pantherinam in porta suspenderet. Et ita domus Antenoris integra mansit, qui cum uxore et filiis patriam reliquit. Censeo poetam „Iliadis parvae" talem Antenoris in Graecos benevolentiam non ita interpretatum esse, ut crimen proditionis in eum converteret; immo vero Graecos ei salutis gratiam propterea habuisse, quod et semper paci Helenaeque reddendae favebat et

[1]) De huius carminis auctore egerunt Robertus, Bild und Lied p. 225 ss. et Allenus, The Class. Quarterly II 83 s.

[2]) Cf. Welcker, Ep. Cycl. II, 246 s.

legatos tecto suo receptos ab Alexandri Antimachique insidiis defenderat. Denique etiam Glaucum atque Eurymachum Antenoridas, quos Lesches primus induxit, una cum Theanone matre et Crinone sorore, cuius nomen nusquam alibi offendi, in Troiae interitu integros remansisse Polygnotus (Paus. l. c.) fortasse ex „Iliade parva“ adiecit.

d.) Pindarus, qui Pyth. V Arcesilaum regem ob victoriam partam summis laudibus effert, etiam veteres heroes Cyrenarum, Arcesilai regni capitis, Antenoridas Dardanos laudat, qui cum Menelao et Helena patriam reliquerunt et in Libya consederunt (p. 42 s.)[1]. Antenoridae, quos Tzetzes ad Lyc. 874 Glaucum Acamantem, Hippolochum nominat, Menelaum videntur secuti esse, quia cum patre hospitio coniunctus erat et cum Ulixe Glaucum in caede nocturna servaverat (p. 35). Menelaus in patriam redire perrexit, Antenoridae autem colle ad Libyae litus sito occupato oppidum condiderunt, quod „Antenoridarum collem“ appellaverunt. Menelaum non longius prosecuti sunt, quia cum patriae hostibus versari nolebant. Cyrenenses Antenoridas ut heroes indigenas antiquitus divinis honoribus coluisse Studniczka l. c. p. 129 s.[2]) recte coniecit; sua aetate hoc ita fuisse Pindarus testatur. Hanc antiquam Cyrenensium fabulam secundum schol. Pind. Pyth. V 108 (cf. Tzetz. ad Lyc. 874) etiam Lysimachus in „Nostorum“ libro I illustraverat secutus ‚Nostos‘ Agiae Troezenensis.

Probabile est et Agiam et Lysimachum Antenoridas obiter laudavisse narrantes Menelai errores. Tzetzes l. c. Glauci memoriam Pausaniae (X 27, 3) vel Apollodoro (ep. Vat. XXI 19) debet; Hippolochum confudit[3]) cum Glauci patre eiusdem nominis (Tzetz. hom. 123 *Γλαύκῳ Ἱππολόχοιο*) et eo facilius cum Acamante composuit, quod Homerus diversis locis (cf. p. 19 s.). Acamantem et Archelochum una nominavit.

[1]) Cf. Studniczka, Kyrene p. 129 ss.

[2]) Maassius, Gött. gel. Anz. 1890, 336 s. recte dicit Antenoridas non esse Graecos, ut Studniczka l. c. putat, sed heroes, qui „die Aufgabe erfüllen, welche in Grossgriechenland Aeneas zufiel, dessen Troer die griech. Einwanderer allerorten wiederzufinden vermeinten“. Cf. A. Gercke, Herm. 41, 447 ss.; Fr. Pfister, D. Reliquien-Cult i. Altert. (1909) p. 155 s.

[3]) Cf. Harder, de Tzetzae fide et auctoritate, Kil. diss. 1886 p. 15.

e.) Non obiter, sed toto carmine Bacchylides Antenoridas laudat c. XIV (Blass) quod inscribitur Ἀν]τηνορίδαι [ἢ Ἑλένη]ς ἀπαίτησις. Poeta rem ad quam Homerus (Il. γ 203 ss.) et auctor Cypriorum alludunt lyrica ratione tractavit. Est autem summa carminis haec (p. 5): Theano, uxor Antenoris atque Minervae sacerdos, legatos salutat (stroph. α'); censeo id factum esse non in Antenoris aedibus, quod putavit H. Weil, Journ. d. Sav. 1898, 54, sed in templo Minervae; nam sacerdotis est legatos in deae templum inducere, cuius auxilium ad pacem efficiendam implorent. Bacchylides v. 1 s. videtur Homeri (Il. ζ 297 s.) exemplum secutus esse, quo loco Theano feminis advenientibus templi portas aperit (ὅτε νηὸν ἵκανον Ἀθήνης . . . θύρας ὦιξε). Iam in papyro desunt lineae viginti duae. Deinde poeta pergit: Antenor Priamo et filiis eius refert quae a legatis comperit. Quo nuntio allato statim praecones a Priamo per urbem mittuntur, qui cives Troianos ad concilium in forum convocent. Qui tot cladibus acceptis iam animo deficientes manibus ad caelum sublatis deos implorant, ut belli finem faciant (παύσασθαι δυᾶν v. 46). Tum Menelaus orationem habet. Legati igitur iam multis proeliis commissis veniunt (cf. v. 46 et 52 Ζεὺς . . . οὐκ αἴτιος θνατοῖς μεγάλων ἀχέων), ut „Cypria" narraverunt (p. 48).

Restat ut lacunae quam inter antistrophum α' et epodum β' est sententias reconstruere coner, cum Kenyonus, Lipsius, Wilamowitzius nisi summatim [1]) non indicaverint. V. 37 s. legimus: πατὴρ εὔβουλος (Antenor) Priamo regi urbis eiusque filiis nuntiat (σάμανεν) quae ei legati detulerunt (μῦθον Ἀχαιῶν): venisse eos Helenam repetitum (cf. titulum ἢ Ἑλένης ἀπαίτησις). Deinde legatis datur occasio Troianos sibi conciliandi. Itaque rerum progressum in Bacchylidis carmine talem fere fuisse existimo: Theano sacerdos Minervae Menelaum et Ulixem salutat. Legati Antenori dicunt, quid regi Troianorum deferant. Antenor cum

---

[1]) Kenyonus, ed. Bacch. p. XXXIX, qui titulum falso „the Sons of Antenor" convertit; Lipsius, NJbfklAltert. I 235 s., qui item titulum falso interpretatur et errat dicens p. 250 Antenori fuisse quinquaginta filios — Homerus nobis undecim, fontes universi undeviginti praebent —; Wilamowitzius, Textgesch. d. gr. Lyr. p. 42, 2.

filiis (Ἀντηνορίδαι tituli) ad Priamum it; ita et titulus intellegitur et id, quod poeta post illud ἄγον statim posuit πατὴρ δ'εὔβουλος [1]).

Denique quaerendum est, utrum carmen ultimo nobis tradito versu confectum sit. Kenyonus l. c. p. XXXIX et Lipsius [2]) l. c. p. 240 id negant, Weilius et Wilamowitzius l. c. p. 42, 2 affirmant. Supra ostendere conatus sum titulum Ἑλένης ἀπαίτησις non poscere, ut Menelai orationem [3]) etiam alia sequatur, et consentio cum Weilio (p. 54, 1) et Wilamowitzio qui censent v. 64 esse ultimum, cum in papyro statim c. XV. sequatur, quamvis illud τίς πρῶτος λόγων ἆρχε (v. 47) huic sententiae repugnare videatur.

E tragicis poetis de Antenore et Antenoridis egerunt Sophocles et Accius.

f.) Sophocles eorum fata tribus fabulis deperditis partim tetigit, partim copiose tractavit.

Primum de „Λακαίναις" quae dicuntur loquar [4]). Argumentum fabulae Sophocles ex Iliade parva (Aristot. poet. p. 1459, 6) sumpsit. Titulum Welcker (I 145) et Nauckius (p. 210) et Chavannes (p. 51 ss.) ita interpretati sunt, ut Laconicas mulieres, ministras Helenae, chorum fuisse dicerent. Agitur de Palladio ab Ulixe et Diomede rapto (p. 30—32). De qua re Proclus ex „Iliade parva" haec excerpsit: Ulixi, qui explorandi causa Troiam venit, Helena nuntiat Ilium excidi posse, si Troianis Palladium eripiatur. Ulixes ad naves reversus cum Diomede rediit et Palladium rapuit (p. 30). Utrum Welcker (I 147) recte censuerit Antenorem vel Theanonem adiuvisse Graecos Palladium rapturos in hac fabula, quae ita „Iliadis parvae" memoriam amplificaverit, necne, in medio relinquo, cum neque fabulae neque Iliadis parvae fragmentis quicquam

---

[1]) Falso reconstruxit argumentum A. Croiset, Rev. d. étud. gr. IX 8, multo melius H. Weil, Journ. d. sav. 1898, 54.

[2]) Non adstipulor Lipsio p. 240 dicenti poetam in parte perdita de Antenore et genere eius dixisse, cum haec, quantum ex carminis partibus servatis concludi potest, et ab initio et ab illo „μῦθον Ἀχαιῶν" abhorrerent. Similiter iam Weilius l. c. p. 54 censuerat.

[3]) Ita iudicavit Weilius p. 54.

[4]) Welcker, Gr. Tr. I 145 ss., III 1555; Nauck, Tr. gr. fr. p. 210; Chavannes, De Palladii raptu p. 51 ss.

comperiamus. Sin autem Antenor vel Theano raptui faverunt, fabula ita acta est: Helena ab Antenore petivit, ut uxori suae, Minervae sacerdoti, persuaderet, ut Palladium Ulixi traderet. Et tradidit petitum marito vel Ulixi (cf. vasa p. 31 s. descripta) aut rapi passa est. Talis memoriae vestigia retinuerunt schol. B. Il. ζ 311 (= Suid. s. v. *Παλλ.*); Dictys V 8; Malalas chron. Ox. 138; Cedrenus hist. comp. p. 229; Ioannes Siceliota (ed. Heinrich) p. 10; Tzetzes posth. 511 ss. et schol. in Lyc. 658 (p. 32).

Quali ratione Sophoclis fabulae quae dicitur „*Ἑλένης ἀπαίτησις*“ [1]) argumentum iam ab Homero (Il. γ 203 ss.; λ 123 ss.; 138 ss.; η 345 ss.) indicatum et „Cypriis“ amplificatum (cf. p. 48) dramatica ratione composuerit qualesque partes Antenori tribuerit, ex fragmentis disceptari non potest. Sed haec conicere possumus (cf. Welcker I 119): Menelaus et Ulixes cum Ilium legati venerint qui Helenam repetant, ab Antenore tecto recepti sunt; qui civibus suis suadet, ut Graecorum condicionibus pacis obsequantur. Sed Paris et Antimachus ei non modo non assentiuntur, sed etiam legatis contra omne ius gentium insidias paraturi sunt. Quo clandestino consilio ab Antenore impedito legati infecta re redeunt et bellum incipit vel renovatur (p. 3 ss). Similia coniecerunt Stiehlius et Wagner (l. c. not. [1])), qui censet Sophoclem hoc novasse quod legati iam ante primum proelium venerunt. Sed cum de rerum ordine ita variato, ut Wagner paulo ante ipse concessit, „inter Apollodorum et schol. Hom. *Γ* 206 et multo distinctius in cod. Lips.“ (p. 3 s.) conveniat, probabilius mihi videtur esse Sophoclem talem ordinem ex „Cypriis“, quae Apollodorus excerpsit, deduxisse (cf. Welcker I 123). Recte mihi Engelmannus (Arch. Stud. z. d. Tragikern p. 16—19) vasis figuris rubris ornati imaginem ad Sophoclis fabulam retulisse videtur. In vase bibliothecae Vaticanae in armario 294 posito (cf. Passeri, Pict. vas. etrusc. I t. 13 et d'Hancarville, Antiqu. étr. III t. 48 et Engelm. p. 17 f. 6) videmus in imaginis dextra parte Antenorem in maris litore cum Ulixe pileato de Helena reddenda loquentem. Iuxta Antenorem in columna Palladium conspicimus. In aede vel

---

[1]) Cf. Welcker l. c. I 117 s., III 1529; Stiehle, Philol. XV 595; Nauck l. c. 171 s.; Wagner, cur. myth. p. 197.

templo, quod in imaginis sinistro latere est, Helena sedet circumdata a duabus ministris, quarum altera umbellam tenet. Antenor senex barbatus paulum pronus baculo nititur et dextram tollit. Engelmannus haud male coniecit hanc imaginem contractam esse ex ampliore in qua etiam Menelaus a Graecorum et Priamus a Troianorum parte aderant, sed artificis interfuisse actores primarum partium solos pingere.

Ex fragmentis fabulae „*Ἀντηνορίδαι*“ [1]) nihil de argumento concludi potest (cf. argumentum Aiacis); sed si illud Strabonis XIII 608 (p. 33) recte ad Antenoridas referimus, Sophocles finxit Graecos Antenori eiusque familiae (v. p. 37 et Polygnoti, Sophoclis aequalis, imaginem p. 33) in Troiae expugnatione pelle pantherina ante fores suspensa pepercisse eumque cum suis [2]) et cum Henetis sociis ex patria deleta in Thraciam servatum inde ad Adriam Venetam pervenisse. Erat ergo domus Antenoris integra conspicua. De Antenoridarum in Thraciam et Venetiam erroribus futuris praenuntiantem Sophocles aut Antenorem vel Theanonem sacerdotem aut deum quendam vel deam (Minervam) induxisse videtur. Aeque Euripides in „Iphigenia Taurica“ Minervam de Orestis et Iphigeniae fatis futuris vaticinantem fecit.

Utrum Ulixes Helicaonem recognoscens (cf. Paus. X 26, 8 ex Leschis „Iliade parva“) hac in fabula inductus sit, ut Welcker l. c. I 168 putavit, necne, in medio relinquere malim. Henetos, Antenoris comites, a poeta in hac fabula valde laudatos esse Polybius II 17, 6, nisi fallor, alludens ad „Antenoridas“ testatur: *προσαγορεύονται δὲ Οὐένετοι περὶ ὧν οἱ τραγῳδιογράφοι πολύν τινα πεποίηνται λόγον καὶ πολλὴν διατίθενται τερατείαν* (cf. Welcker I 167 et Nauck l. c. 160). Sed plura [3]) de „Antenoridis“ conicere nolo. Welcker l. c. I p. 151 censet Sophoclis fontem fuisse Arctini „Iliupersidem“, Stiehlius l. c. p. 597 Agiae Troezenensis „Nostos“ (cf. p. 50).

---

[1]) Heyne, Verg. Aen. I exc. VII*; Welcker l. c. I 166 ss., III 1557 s.; Stiehle l. c. 596; 597, 44; 598; Ribbeck, Roem. Trag. p. 407 ss.; Nauck l. c. p. 160.

[2]) Christ-Schmidius l. c. I 325 falso Antenorem non una cum filiis profectum esse dicit.

[3]) Ut Welcker I 169 et III 1157 coniecit.

Mihi quidem probabile videtur esse Sophoclem cum ex his carminibus tum ex Leschis „Iliade parva" hausisse, praesertim cum, si recte Paus. X 27, 3—4 ad Leschem referimus, etiam hic poeta pellis pantherae mentionem fecerit.

g.) Valde probabile est Accium poetam in „Antenoridis" componendis artissime Sophoclem secutum esse [1]. Cum Ribbeckio, qui l. c. p. 406—10 hanc tragoediam reconstruere instituit, in eo consentire non possum, quod Dictyos atque Daretis de Troiae excidio historias fabulosas multo amplius huc retulit, quasi res ab illis memoratae iam in Sophoclis fontibus inveniri debeant [2]; praeterea Ribbeckius (Gesch. d. röm. Dichtg. I 180) falso coniecit Accium etiam argumento Sophocleae fabulae quae dicitur *Ἑλένης ἀπαίτησις* in hac fabula usum esse. Sed recte videtur fragmenta IV et V rettulisse ad Henetorum ducem, qui Troianis in summi periculi momento auxilio veniens urbis expugnationem impedire non poterat [3].

Item probabile mihi videtur esse, quod Ribbeckius (p. 409) de fabulae fine coniecit: Accium in extrema tragoediae parte finxisse Troiam a Graecis occupari et Antenorem una cum Aenea et Henetis patriam relinquere.

Utrum illae tres Sophoclis fabulae: „Laconicae", „Helenae repetitio", „Antenoridae", aliquo conexu inter se coniunctae sint necne, diiudicari non potest.

E poetis qui sequuntur epicis, lyricis, tragicis res, quae ad Antenorem et Antenoridas pertinent, obiter tantum tetigerunt Euphorio Chalcidensis, Vergilius, Ovidius, Triphiodorus. Quos nominasse satis est.

h.) Lycophronis vero paulo pluribus mentio facienda est, quod in „Alexandra" v. 340 ss. Antenorem patriam prodidisse primus indicavit (p. 26). Inde quod illis obscuris versibus ad rem quasi iam cognitam alludit, elucet temporibus poetae hanc fabulae memoriam saepius tractatam esse; sed certus fons inveniri non potest.

---

[1]) Idem censuerunt Nauckius l. c. 160 et Ribbeckius l. c. p. 407.

[2]) Ribbeckius p. 408—9 Welckero non nominato omnia quae ille de „Antenoridis" coniecit, de Accii „Antenoridis" iteravit.

[3]) Roem. Trag. 407.

i.) Ovidius ex Pont. IV 17 ss. Largum poetam nominat, qui Antenorem *„Phrygium senem“* in Galliam Cisalpinam proficiscentem celebravit carmine epico: *ingeniique sui dictus cognomine Largus, | Gallica qui Phrygium duxit in arva senem.*

Macer ab Ovidio ex Pont. IV 6 *(„Iliacusque Macer“)* poeta carminis Iliaci nominatur, in quo haud scio an Antenoris mentionem fecerit.

k.) Quintus Smyrnaeus in „Posthomericis“ multas Antenoridarum res vel repetivit vel mutavit. Fortasse carmina cyclica ipsa legit (cf. p. 18, 22, 49), ut Allenus, The Class. Quart. II 68 ss. censuit, cum ex excerptis similibus Procli vel Apollodori, quae eius fontes fuisse putant Fr. Kehmptzow, de Q. S. fontibus et mythopoeia diss. Kil. 1891 p. 53 ss. et Baumstarkius, Philol. 45, 284 ss., tam amplam rerum cognitionem haurire non potuerit.

IX 8 ss. (cf. p. 9 s.) Quintum Antenoris preces, ne Iuppiter Troianorum res male vertat, finxisse puto ad Homeri exemplum, qui Il. ζ 297 ss. Theanonem similiter Minervam implorantem induxit. Sententiae quas Antenor supplicans apud Quintum profert bene cum eius pacis amore atque benignitate conveniunt. Idem conieci de XIV 399 ss. (p. 10): Antenor Troianos interfectos sepelit, et de XIV 320 ss. (p. 10): Antenor Polyxenam, Eurymachi filii sponsam, prope ad domum suam sepelit. E poetis cyclicis (Lesche in „Iliade parva“ et fortasse Arctino in „Iliuperside“ et Agia Troezenensi in „Nostis“), quos Sophocles in „Antenoridis“ secutus est, Quintus XIII 291 ss. (p. 34) hoc hausit: Graeci Antenoris aedibus propter vetus Menelai et Ulixis hospitium auxiliumque parcunt. De Antenoris post Troiae expugnationem sorte nihil comperimus. Mentionem pellis pantherinae Quintus omisit. — Theanonem Minervae sacerdotem esse Quintus I 447 ss. retinuit (p. 12 s.), sed Antenoris uxorem non nominavit. — Antenoridarum hos memoravit: Agenorem (cf. p. 54 ss.), quamquam Quintus eum Antenoridam non nominavit, Antenoris filium appellare possumus, cum ut apud Leschem ita apud hunc Agenor Antenorida (cf. Paus. X 27, 1) a Neoptolemo interficiatur XIII 217. Sed Agenor Quinti nulla ratione cum Homeri Agenore congruit nisi virtute et rebus fortiter gestis. Apud Homerum Agenor Elephenorem (δ 467 sq.) et Clonium

(ο 340), apud Leschem (Paus. X 27, 1) Lycomedem, apud Quintum quattuor alios Graecos necat (p. 18 s.): VI 624 sq. Molum, VIII 310 ss. Hippomenem, XI 86 ss. Hippasum, XI 184 ss. Argivum ignotum. Praeterea Agenorem fortem se praestantem in porta Idaea ab hostibus defendenda Quintus XI 348 sq. induxit (p. 19), id quod nusquam alibi legimus.

Ut in Iliade (β 819 ss.; μ 98 ss.; π 342 ss.), ita in „Posthomericis" Acamas Antenorida est (cf. X 68); sed Quintus cum eius vulnus novavit tum interfectorem mutavit (p. 19): VI 574 ss.: a Thrasymede vulneratur; non Meriones (Il. π 342 ss.), sed Philocteta eum necat (Quint. XI 167 s.).

Antenoridarum quos Homerus nominat Quintus Archelochum (Il. ξ 462 sq. et Posth. XI 91 = p. 20), Laodocum (Il. δ 87 et Posth. XI 85 = p. 22 s.), Polybum (Il. λ 59 et Posth. VIII 86 ss. = p. 20) Troianos, Laodamantem (Il. ο 516; posth. XI 20 ss. = p. 22) Lycium, Demoleontem (Il. υ 395; posth. X 119 ss. = p. 20) vero Lacedaemonium fecit. Eurymachum Antenoridam Leschis (Paus. X 27, 3—4) et Lysimachi (cf. Tzetz. in Lyc. 874 ex „Nostis") etiam Quintus in Antenoris filiis enumeravit (XI 129 ss., 137 ss., 166 ss., 182 ss. = p. 24) et cum Priamo affinitate eo coniunxit, quod Polyxenam eius sponsam fecit (XIV 320 ss. = p. 24). Quintus eo quod XIII 544 sq. (p. 36) Laodicam, Helicaonis uxorem, terrae hiatu absumptam esse memoravit, Arctini „Iliupersidos" narrationis formam videtur esse secutus[1]) (p. 35 s.).

1.) Dracontius in carmine „de raptu Helenae" Antenorem a Priamo Hesionae reddendae causa ad Graecos missum esse dicit (p. 7 s.). Antenoris, qui vv. 259—85 orationem habet, dicendi rationem auctor significat verbis „*placida voce*" (260). vv. 590—97 (p. 7) Antenor Priamo maris pericula verbis gravibus describit. Dracontius quamquam forma carminis epici usus est, tamen modo et colore rhetorico, imprimis in Antenoris oratione (v. 259 sq., cf. p. 59) tantopere luxuriavit, ut etiam in rhetoribus, ad quos iam transeo, numerari possit.

---

[1]) Fr. Kehmptzow l. l. p. 70 Quintum hanc Laodicae fabulam e „fonte mythographico" sumpsisse censet.

C. II. De Antenore et Antenoridis a rhetoribus tractatis.

Discernam quae rhetores de Antenore vel Antenoridis commemoraverunt (A) quaeque Antenorem dicentem fecerunt (B).

A. Neque Gorgias neque Isocrates neque Alcidamas quicquam de Antenoridis memoraverunt[1]). Dio vero Chrysostomus (cf. p. 39) in oratione „Τρωικὸς ὑπὲρ τοῦ Ἴλιον μὴ ἁλῶναι“ Antenoris mentionem fecit. Memoriam quam Sophocles in „Antenoridis“ adhibuit ita permutavit, ut non Antenorem cum Enetis Troiam reliquisse, sed Enetos iam ante eius adventum in sinu maris Adriatici consedisse dicat, quibus subiectis Antenor ibi regnaverit (cf. § 142). Ad Homeri (Il. η 347) Ἀντήνωρ πεπνυμένος Dionis Ἀντήνωρ δοκῶν φρονεῖν (§ 38) respicere videtur (cf. Bacchyl. XIV 37 πατὴρ εὔβουλος). Praetera § 95 rem ex Homero cognitam memoravit: Agenor ab Achille persequente subito non conspicitur (cf. p. 17).

Philostratus III[2]) in dialogo qui inscribitur „Ἡρωικός“ res Troianas tractans neque de Antenore neque de eius genere quicquam praebet.

Libanius rhetor (cf. p. 5) non Antenorem ipsum, sed et Menelaum et Ulixem de eo dicentes induxit. In declamationibus Menelai (ed. R. Foerster V 199—221) et Ulixis (V 222—86) compluribus locis oratores Antenorem laudantes fecit, quod olim ipsos legatos propter Helenam venientes hospitio receperit et ab Alexandri insidiis defenderit (Foerster V 206, 10 Ἀντήνορα . . . τὸν βέλτιστον, cf. 238, 13 — V 232, 10 τὴν φιλανθρωπίαν Ἀντήνορος — V 239, 10 Ἀντήνορος καλοκἀγαθία). Verbis Menelai „βουλοίμεθ᾽ ἂν αὐτῷ μηδὲν τοιοῦτον περὶ τὸν οἶκον συμβῆναι“ Libanius ad aedes Antenoris servatas alludere videtur (cf. p. 5).

Denique Nicolaus sophista profert rem iam a poeta cyclico memoratam (p. 35 s. et 36): Laodica, cum iam in eo esset, ut Graecorum alicui duci serva tribueretur, subito terrae hiatu absumpta est.

B. Ad Ulixis Libanianam declamationem Manuel II Palaeologus declamatione respondit, cuius exordium exstat

[1]) Cf. Blass, Att. Beredsamkeit I 72 ss.; II 242 ss.; 359 ss.

[2]) Cf. Münscher, Philol. Suppl. X 495 s.

editum post Boissonadium a Foerstero in Libanii vol. V 226s. Recte Boissonadius (Anecd. Gr. II 308) adnotavit: „Si ea fuerit personati eius Antenoris sententia, ut Helenam Paris non redderet, male desciverit a vetusta traditione augustus declamator“. Nam p. 5 et 9 vidimus Antenorem semper auctorem Helenae reddendae fuisse. Quae discrepantia fortasse ita explicari potest, ut Manuel Antenorem, ne Helena redderetur, suadentem propterea fecerit, quod legatus de Hesiona repetenda missus a Graecis iniuriis affectus erat (v. Dracont. v. 259s. et Dar. c. 4—6, 8, 17, 38).

Dictys Antenorem II 23 in contione de pace habita loquentem fecit, IV 22 pacis interpretem longam orationem habentem, V 2 in consilio ostendentem Troianis oratione artificiose composita, quibus de causis bellum componendum esset.

Apud Daretem Antenor complures orationes habet (cf. p. 61).

Malalas vero chron. Ox. 142 (p. 122 Dind.) Antenorem graviter et rhetorice loquentem induxit. Eisdem fere verbis hanc Antenoris orationem ex Malala hauserunt Cedrenus hist. comp. 131 B (p. 230 Bekker) et Ioannes Siceliota (ed. Heinrich) p. 9.

C. III. De Antenore et Antenoridis a Dictye et Darete, auctoribus historiarum fabulosarum, tractatis.

Dictys Cretensis in „Ephemeride belli Troiani“ (cf. p. 8) non modo nonnullas fabulae Antenoreae partes commutavit, sed etiam novas de suo finxit. I 6 Ulixem, Menelaum, Palamedem, quem tertium legatum addidit, ante bellum exortum Troiam venisse et ab Antenore hospitaliter receptos esse (cf. schol. Il. γ 206, p. 3 s.) refert.

I 8 impetum ab Alexandro in consilium senum factum, quem Antenor reppulit, finxit ad similitudinem illarum insidiarum quae legatis a Paride paratae erant (Il. λ 123 ss., 138 ss.), quas ipse paulo post I 11 iteravit. II 20—24 narrat alteram Helenae repetendae legationem, cui Ulixes et Diomedes praesunt. Dictys, quod Dares c. 17 iteravit, Ulixi Diomedem comitem adiunxit, qui apud alios scriptores (cf. p. 30 ss.) eum in Palladii raptu adiuvat. Etiam hos legatos Antenor hospitio recipit (V 4) et ab insidiis servat (II 24). In hac occasione Dictys ex illa Homeri memoria (Il. λ 123 s.), quod Antimachus

Alexandri auro corruptus legatis insidiatus est, duas inter se disiunctas historias fecit: alteram, quod Alexander (I 8), alteram, quod Antimachus (II 24) legatis insidiatus est. Conicio eum ad iteratas insidias legatione duplicata perductum esse. III 26 novavit Glaucum Antenoridam cum Alexandro ad iter in Graeciam faciendum se coniunxisse et propterea a patre ex familiae societate eiectum esse (cf. V 2). Qua re auctor Antenoris probitatem illustrare voluisse videtur, quam iam antea ea mente, ut Antenor proditione perfecta eo perfidior haberetur, laudaverat: I 6 „*Antenor, vir hospitalis et praeter ceteros boni honestique sectator*“; I 11 „*A., cuius de sanctitate morum supra memoravimus*“ (cf. Liban. p. 58 Ἀντήνορα . . . τὸν βέλτιστον; τὴν φιλανθρωπίαν Ἀντήνορος; ἡ Ἀντήνορος καλοκἀγαθία). In hac re, quod Glaucus in bello Troiano ab Agamemnone necatus est, IV 7 cum Vergilio Aen. VI 484 ss. congruit (cf. p. 35). Quod IV 18 Chrysem proditionem Aeneae atque Antenoris praenuntiantem induxit, ad res futuras monstrare voluit, quae narrandi ratio in eiusmodi operibus adhiberi solet, cum ad eorum qui legunt animos magnam vim habeat. IV 22—V 10 (cf. p. 28 ss.) Antenoris proditionem copiosissime exornavit. Antenori partes pacis interpretis tribuens optimam proditionis efficiendae occasionem dedit. V 6 recte Antenorem contra Graecorum condiciones dicentem fecit, quamquam proditio ab illo iam antea (V 4) pacta erat; nam ita Antenor civibus suis suspicionem non movet. Hac re Dictys a Darete distat qui c. 38 diserte affirmavit Priamum „*vereri ab his, qui pacem suaserunt, ne oppidum proderent*“. Postea (V 10) Antenor pace cum Graecis facta a civibus valde laudatur. Omni ergo proditionis odio vel specie ita remoto clam componit (V 9) se hostes in fraude equi lignei adiuturum esse; sed auctor in expugnatione ipsa describenda V 12 ad hoc consilium non respicit. Ad eam igitur proditionis memoriam alludit, quam Lycophro Alex. 340 ss. (p. 26) fortasse e carmine cyclico hauserat. Graecos Antenoris domui pepercisse Dictys V 12 e Lesche et Sophocle (p. 49 et 54) retinuit pro pelle pantherina signum equi in porta picti ponens; praeterea IV 11 et 22 praemia proditionis addidit magnam argenti atque auri copiam et regnum uni Antenoridarum promissum; sed Antenor ipse, non Antenorida rex Troianorum fit

(cf. schol. ad Lycophr. 340, qui dicit Antenorem Graecis patriam prodidisse ea condicione, ut ipsum expugnata urbe regem facerent (cf. p. 26 s.), et Serv. Aen. I, 242 *„si regnat proditor"* (cf. p. 27)). V 16 auctor perfidiam Antenoris eo paulum lenire voluit, quod proditorem pro civibus suis petentem induxit, ne Graeci patriam funditus delerent. V 17 non ea Antenoris fati memoria usus est quam et Strabo et Livius aliique auctores tradiderunt (cf. p. 37 s.). Illi Antenorem cum Aenea in Italiam venisse dixerunt; contra Dictys diserte scripsit Antenorem Aenea expulso Troiae regnum obtinuisse, quamquam IV 18 et V 12 Aeneam in patria prodenda Antenorem semper adiuvisse dixerat.

Ut Dracontius l. l. v. 259 ss. (cf. p. 57), ita etiam Dares Phrygius in „historia de excidio Troiae" Antenoris propter Hesionam reddendam in Graeciam missi c. 4, 5, 6, 8, 17 mentionem fecit (p. 7 s.). Supra (p. 7 s.) ostendi Daretem ex Dracontio hausisse, qui legationem Antenoris secundum fontem suum tali modo explicavit: Priamus patriae iniuriam ulturus, ut bellum evitet, legatos mittere in animo habet. Antenori, qui ut artis dicendi peritissimus celebratus est, oratoris partes Dares tradidit. Antiquam Iliadis (η 345 ss., cf. p. 9) memoriam eo secutus est, quod c. 37 Antenorem fecit civibus suadentem, ut Helenam redderent. Sed causam consilii non ius gentium laesum, ut Homerus, sed timorem hostium indicat. C. 37—38 auctor insidias Antenori sociisque eius a Priamidis (Priamo et Amphimacho) paratas finxit ad similitudinem illarum quibus Alexander et Antimachus legatos Graecorum persecuti erant (cf. Il. λ 123 ss., 138 ss.). Ut Dictys, ita Dares c. 37—41 copiosissime Antenoris proditionem narrat. Auctores qui antea de ea egerunt (cf. p. 26 ss.) nihil tradiderunt nisi Antenorem patriam prodidisse. Apud Daretem Antenor e coniuratorum numero eminet, cum in concilio unus loquatur et universum proditionis consilium explicet. Auctor nihil omisit quo Antenorem quam perfidissimum redderet. C. 44 Dares e Dictye hausit (cf. p. 44) Antenorem Troiae remansisse ibique novum regnum instituisse; numerum comitum (duo milia) ipse addidit. Ad rem similem animum advertit schol. Lycophr. 340 (cf. p. 26). C. 4 Dares unam e Troiae portis Antenoream appellavit. C. 12 Antenoris

formam descripsit. Eius epitheta retinuerunt et auxerunt Malalas, Isaac Porphyrogennetus, Tzetzes (cf. p. 3).

Videmus ergo Daretem res ad Antenorem pertinentes cum iteravisse, quae iam ab aliis traditae erant, tum ipsum novavisse vel ad similitudinem finxisse quae ei ad res iam antea cognitas conectendas aptae videbantur. Neque Theanonis neque Antenoris filiorum auctor mentionem fecit.

Quamquam ergo videmus Dictyn et Daretem memorias aliorum quae ad Antenorem pertinent partim servavisse partim de suo exornasse vel ipsos novas res finxisse, tamen in his rebus multum discrepant [1]).

Cum in aliis tum in rebus ad Antenorem spectantibus ex Dictye et Darete imprimis hauserunt ei auctores qui medio aevo bellum Troianum fabulose tractaverunt, quorum principes Meister enumeravit in praefatione editionis Dictyos p. XI ss. De quibus cf. H. Dunger, D. Sage v. troian. Kriege in den Bearb. des M.-A. u. ihre antik. Quellen (Dresd. 1869 progr. gymn. Vitzthum.); Koertingius l. c.; W. Greif, D. mittelalt. Bearb. d. Troianersage, Marburg 1886; O. Rossbach, Pauly-Wissowa s. v. Dares.

Restat ut agam de Messallae libello „*de progenie Augusti*“ qui dicitur [2]), quem saeculo XV. a viro docto quodam scriptum esse ostendit C. F. Weber, ind. lect. Marb. 1873/74 et 1874. Auctor c. X Antenoris errores ex antiquis fontibus haustos („*ad caput Adriatici maris cursum tenuit*“, cf. Liv. I 1; „*expugnatis Euganeis . . . Patavium condidit*“, cf. Liv. I 1; Verg. Aen. I 242 ss., Serv. in Aen. I 242 ll. ll. (cf. p. 40); ea quae de Enetorum origine scripsit e Liv. I 1 hausit; „*et Venetiae regio dicta*“, cf. Verg. Aen. I 248; cf. Weber ind. lect. Marburg 1874 p. III ss.) suis additamentis auxit.

C. IV. De Antenore eiusque genere artis monumentis illustratis.

Extremo capite breviter complectar quae antea de singulis artis monumentis exposui.

---

[1]) Tales dissensiones collegit Koertingius, Dictys u. Dares p. 115.

[2]) Cf. R. Foerster, Franc. Zambeccari u. d. Briefe d. Libanius 1878, p. 276. Stichlius, Philol. XV 599, 60 et 61 falso eum in fontibus enumeravit.

I. Omnium operum aetate anteit Cypseli cista (cf. p. 44), cuius artifex Coonem fecit, qui iratus morte Iphidamantis ab Agamemnone necati cum fratris interfectore pugnat. Qua in re illustranda secutus est Homerum Il. λ 248—63).

II. A. De vasis figuris nigris ornatis.

a.) Antenor in amphora quae ‚Françoisvase‘ dicitur (p. 15) Priamo nuntiat Troilo filio fugienti Achillem instare.

b—c.) Theano et Crino filia in amphora musei Berolinensis no. 3025 (Furtw., cf. p. 31 s.) conspiciuntur: Theano Ulixi Palladium traditura est; filia maesta oculos a matris proditione avertit.

d—e.) Agenorem in amphora musei Monacensis (p. 16) suspicati sumus inter eos qui de Troili corpore pugnant, et in amphora musei Berolinensis n. 1685 (Furtw. cf. p. 18 s.) in viro inter Neoptolemi pedes iacente.

f—g.) Glaucus denique, si recte coniecimus, conspicitur in duabus imaginibus: amphora Parisina (cf. p. 23 s.) praebet Glaucum quendam armatum cum aliis Troianis in pugnam profecturum. Sed incertum est utrum hic Glaucus sit Antenoris an Hippolochi an Priami filius. In amphora figuris nigris ornata (cf. p. 24.) eum inter Hectoris socios suspicati sumus. Vasorum figuris nigris ornatorum artifices res belli Troiani pinxerunt, ut Homerus vel epici cycli poetae eas tradiderant.

B. De vasis figuris rubris ornatis.

Horum artifices etiam tragicorum fabulas secuti sunt.

a.) Antenorem cum Ulixe de Helena reddenda loquentem Engelmannus (cf. p. 53) in vase bibliothecae Vaticanae recte recognovit; artifex rem ex Sophoclis fabula „Ἑλένης ἀπαίτησις“ hausisse videtur.

b.) Imprimis Theanonem illustratam videmus: 1. In pictura amphorae musei Neapolitani (cf. p. 31) reperta Rubis Theano templi sacerdos significata est clave quam dextra tenet. Artifex exprimit eam Palladii raptui non interesse. — 2—5. Praeterea in quattuor vasorum imaginibus, quae Cassandram ab Aiace raptam praebent, Theanonem sacerdotem nos recognovimus p. 13—14, praesertim cum inscriptio amphorae Vindobonensis ad eam ostendere videatur (cf. p. 13).

c—d.) Glaucum vasis Vulcis reperti (cf. p. 23 s.) non Antenoris, sed Hippolochi filium esse coniecimus, qua in imagine etiam Laodocum quendam, fortasse Antenoridam (cf. p. 22 s.), vidimus.

e.) Laodicam recognovimus in vase a „Vivenzio“ nominato et figuris rubris ornato, quod nunc in museo nationali Neapolitano servatur [1]). Conspicimus Iliupersin. A laeva videmus Aiacem Cassandram a Palladis simulacro abstrahentem. Iuxta sedet maesta Troiana comam vellens, quam Medesicastam vel Laodicam esse Millinus, Gall. myth. I n. 608 et p. 154 coniecit, id quod Heydemannus, Iliupersis p. 35, 2 accepit.

III. De aliis artis monumentis.

a.) Amplissime genus Antenoris exornavit Polygnotus in pictura Troiae excidii [2]), quae erat Delphis in Cnidiorum Leschae dextra parte (cf. p. 12, 17, 23, 25, 33, 37). Cuius imaginis descriptionem copiosissimam debemus Pausaniae X 23—27; de ea imaginis parte quae ad Antenorem spectat (X 26, 7; 27, 2—4) iam p. 33 egi. Polygnotus in hac pictura componenda imprimis vestigia Leschis „Iliadis parvae“ secutus est. Eandem scaenam etiam Sophoclis, Polygnoti aequalis, „Antenoridae“ (cf. p. 54) praebuerunt. In Polygnoti imagine sola Antenorem et Antenoridas pictos esse scimus. Neque Cleanthis pictoris Corinthii ‚Iliupersidos‘ nisi nomen novimus (Strab. VIII p. 343 et Plin. n. h. 35, 16 cf. Brunn, Gesch. d. gr. Künstl. II 7 et Klein, Gesch. d. gr. Kunst I 107) neque aliae vasorum imagines quae „Iliupersidem“ exprimunt, Brygi aliorumque Antenorem aut Antenoridas praebent. In singulis picturae scaenis quae ad Antenoridas pertinent Polygnotus illustravit: Antenorem, Theanonem, Glaucum, Eurymachum, Crinonem ante domum servatam (X 27, 3—4); Agenorem mortuum (X 27, 2); Laodicam ad aram stantem (X 26, 7). Denique, ne quid desit, adnoto totam picturam reconstruere conatos esse hos viros: 1. F. et I. Riepenhausen, Gemälde des P. i. d. Lesche z. Delph.

---

[1]) Cf. H. Heydemann, D. Vasensamml. d. Mus. Nazion. z. Neap. no. 2422, p. 298 ss., qui omnes viros doctos enumeravit qui ante ipsum de hoc vase egerunt.

[2]) Omnes viros doctos qui de Polygnoti Lescha scripserunt aut imaginem reconstruere conati sunt enumeravit Bourguetus in Daremberg, Saglio, Pottier, Dictionnaire des Antiquités III 1107 s. v. Lesché.

1805, 1826 (cf. Welcker, Abh. Berl. Ak. 1847 p. 81 ss.); 2. Benndorf, Wien. Vorlegebl. 1888 XI 2; 3. C. Robert, 17. Hall. Winck. Progr. 1893 t. I; 4. Schreiber, Festschr. f. Overb. 1893, 184 ss. et Abh. Sächs. Ges. Wiss. XVII 1 ss.

b.) Antenorem in Priami comitibus Robertus in operculo sarcophagi, qui nunc Romae in villa Borghesiana est, cognovisse se putat (cf. p. 11 s.).

c.) Archelochum cum Aiace pugnantem conspicimus in tabula Iliaca (cf. p. 19 s.), quae Iliadis ξ 462 s. narrationem illustrat.

d.) Agenorem a Neoptolemo occisum videmus in tabulae Iliacae fragmento Parisino secundo (cf. p. 18), cuius artifex Arctini „Aethiopida“ secutus est.

Sententiae controversae.

1. Aeschyl. Eum. v. 95 ss. lego cum Wakefieldio:

    ἐγὼ δ᾽ ὑφ᾽ ὑμῶν ὧδ᾽ ἀπητιμασμένη
    ἄλλοισιν ἐν νεκροῖσιν, ὧν μὲν ἔκτανον
    ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν οὐκ ἐκλείπεται.

2. Bacchylidis carmen XIV (Blass) versu 63 finem cepisse dico.
3. Myth. lat. I 204, 46 pro lectione codicis Reginensis ‚*artilocum*' et Bodii (ed. I p. 65) ‚*Antilochum*' ex Il. β 822 s.; μ 99 s.; Apollod. epit. Vatic. (ed. Wagner) 3, 34 ‚*Archelochum*' restituendum censeo.
4. Kleinius (Oester. arch. Jahresheft. X 1 p. 141—44) errat, cum Venerem Esquilinam Hydnam urinatricem repraesentare dicit.
5. In opere tessellato Empuriis invento cum Heydemanno (Arch. Zt. 1869, 7—10) contra Fr. Schlie (ibid. p. 90—91) virum iuxta Iphigeniam stantem esse Agamemnonem, virum sceptrum ferentem Menelaum censeo.

Vita.

Arthurus Alfonsus Scholz natus sum anno 1887 die XVIII. m. Augusti in oppido Silesiae, cui est nomen Sprottau, patre Augusto, qui anno 1905 mortuus est, matre Martha e gente Boerner. Fidem profiteor catholicam. Literarum primordiis imbutus patriae progymnasium usque ad anni 1900 autumnum et deinde gymnasium Saganense frequentavi. Vere anni 1905 testimonium maturitatis adeptus in universitatem Vratislaviensem me contuli, ubi per undecim semestria me docuerunt viri doctissimi: Baumgartner, Cichorius, † H. Cohn, Drescher, † Ebbinghaus, Foerster, † Freudenthal, Gercke, de Hase, O. Hoffmann, Nickel, Norden, Rohr, Siebs, Skutsch, Sombart, Storch, Wendland, de Wenkstern, † Zacher. Proseminarii philologici exercitationibus interfui per ter sex menses. Sodalis fui seminarii philologici Foerstero, Skutschio, Wendlando, germanici Kochio, historici Cichorio, philosophici Baumgartnero moderantibus per trina semestria. In hac dissertatione conscribenda consilio suo amplissime me adiuvit Ricardus Foerster, cui semper gratias quam maximas habebo.